XVIII
A
1

NAZ.
le III
I
.1

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
A
46
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

MARTINI SCHOOCKII,
TRACTATUS
DE PACE,
Speciatim
DE PACE PERPETUA,
Quæ

Fœderatis Belgis ſingulari Dei munere contigit:

Expendens hujus tum proſpera, tum adverſa.

B. R.

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM.

cIↃ IↃc L.

Digitized by Google

TRACTATUS DE PACE IN GENERE,

Itemque in ſpecie de Pace, quæ Fœderatis Belgis Dei munere contigit.

QVum boni civis ſit præſentibus acquieſcere, & ea quoque, quæ ab imperantibus conſilio minus provido decreta videntur, benignioris interpretationis moderamine mollire; haut quaquam vitio nobis datum iri ſperamus, ſi præmiſſâ Pacis *in genere conſideratæ delineatione oculos converterimus ad eam Pacem, quam, ſingulari Opt. Max. Dei gratia, præter opinionem ab hoſtibus, antehac adverſus eam obfirmatis oblatam, poſt maturam & diuturnam deliberationem ſupremi Fœderatæ Belgicæ moderatores admiſerunt: ut verò in thetica illius tractatione ordinaria Pacis incommoda cum ſuis remediis componemus; ſic, quando ad hypotheſin deventum fuerit, docere nitemur, ſcrupulos à multis, patriæ aliàs ſtudioſiſſimis, hactenus motos, eximi haud difficulter poſſe, ſi omnia, quæ iis eradicandis ſervire aliàs ſolent, tempeſtivè adhibeantur; quo pateat non fruſtra dictum eſſe à Tacito lib. 3. Hiſt. cap.* 85. Præſentia maximè diſplicent, omnia metuenti.

CAPUT I.

De nomine Pacis, ejus Etymologia, homonymia, & definitione.

VT hoc agam, & Pacis, cujus memoria cunctis mortalibus, imò ſecundum Ciceronem Phil. 13. *nomen ipſum dulce* quoque eſſe ſolet, facies explorata ſit, à vocis per ſe ambiguæ tum Etymologia, tum diſtinctione incipio. Quod ad Etymologiam vocis auſpicatiſſimæ, omiſſis aliorum de ea ſententiis, amplector J C. Ulpiani in leg. 1. §. 1. ff. de Pact. *Pactum à pactione dicitur, inde etiam Pacis nomen appellatum eſt.* Subſcribit ei Sinnius Capito, teſte Feſto Pompejo; paulum verò recedit Iſidorus lib. 10. Orig. cap. 11. à Pace pactum & pactionem potius, quod regulæ Grammaticæ hoc ſuadeant, deducendo: at Logicam J C C. Etymologiam quis Grammaticorum ſubtilitati otioſæ non præferat? Pactionibus quoniam Pax plerumque conſtituitur, à pactione nomen convenienter ducit, teſtibus Tryphonino in leg. 12. Pomponio in leg. 20. Labeone in leg. 28. D. de Captiv. & Poſtlim. reverſ. Inde Cæſar lib. 3. de B. C. *Neque ullum interim telum per pactiones colloquentium trajiciebatur.* Et Pontius Samnitum Imperator apud Liv. lib. 9. *Hoc fide, hoc fecialibus cæremoniis*

moniis dignum erat, ut tu quidem, quod petiiſti per pactionem habeas, tot cives incolumes, ego Pacem, quam hoſti tibi remittendo pactus ſum non habeam? Atque hanc ob cauſſam Cicero tranſactionem, qua de Pace convenit, ſimpliciter *pactionem* vocat lib. 10. Famil. Ep. 6. *Victoriâ pax non pactione potiunda.* lib. 9. ad Att. Ep. 12. *Ego, ſi Pomponius manet, nec res ad pactionem venit, longius bellum puto fore.* & lib. 3. Off. *Regulus non debuit conditiones & pactiones bellicas perturbare perjurio.* Accedo ad homonymiam, quæ multiplex admodum: unus Auguſtinus docere poteſt lib. 19. de C. D. cap. 13. *Pax corporis*, inquit, *eſt ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actioniſque conſenſio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & ſalus animantis. Pax hominis mortalis & Dei immortalis, ordinata in fide ſub æterna fide obedientia. Pax hominum, ordinata concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cœleſtis civitatis, ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis.* Inde Scholaſticorum filii, (fidem facere poteſt unus Altenſtaig in Lexico.) cum omnium vocum apparentes quoque ambiguitates diſtinctionum præſidio illuſtrare ſoleant, triplicem Pacem conſtituunt: Pacem internam

ac ſpiritualem pectoris, quæ aliàs *Pax conſcientiæ* vocatur, exigitque pacem cum ſeipſo; pacem externam & terrenam & temporis, quæ requirit pacem cum proximo, rurſumque, dividitur in domeſticam & politicam ſive publicam; & pacem cœleſtem ſive æternitatis. De pace interna, procurata à Chriſto, qui eſt Pacis Dux, Eſ. 9. v. 6. imò Pax noſtra, Epheſ. 2. v. 14. quamque impii aſſequi non poſſunt, Eſ. 57. v. 21. agitur Joh. 14. v. 28. Rom. 5. v. 1. Phil. 4. v. 7. eamque patheticè commendat Ignatius in Epiſt. ad Epheſ. & Auguſtin. ſerm. 2. ad fratr. in Erem.

Omiſſis verò reliquis notationibus, præſenti inſtituto noſtro minus ſervientibus, ſub *Pacis* titulo ſolam externam Pacem, eamque publicam intelligimus, quatenus nempe belli externi glorioſiſſimus terminus exiſtit; quo reſpectu non inconvenienter hac deſcriptione adumbrari poſſe videtur: *Pax eſt libertas publica, honeſta, ac ſecura, finiens bellum externum in perpetuum, procurataque publica conventione ab iis, quibus tum belli tum pacis jus eſt: ſive per internuncios & legatos, atque mediatores quoſdam, ſive ſine utriſque, aut ſaltem alterutris, ad hoc ut inviolabilis conſervetur.* Quæ deſcriptio, ut commodius intelligi queat, ſingula illius membra ſubſequentibus capitibus expenſum ibimus.

CAPUT II.

Quomodo pax ſit libertas? ſpeciatim libertas publica? Occurritur quibuſdam dubiis.

INitio in præcedenti deſcriptione, *Pacem libertatem* eſſe dicimus. An rectè? Equidem ſcrupulum movet Tacit. lib. 4. Hiſt. cap. 67. referens, aliquando inter Galliarum civitates conſultatum fuiſſe, *libertas an pax placeret.* Sed haud difficile eſt hæc componere; ſiquidem eo loci per *libertatem* intelligere convenit Jus regendæ per ſe reipubl. per *pacem* verò, talem, quâ bellum redimatur internecinum, ſive ut Cicero lib. 9. ad Att. Ep. 3. illud Græcis verbis explicat, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν, h.e. *ſi civitas propter id de ſumma rerum periculum ſubitura ſit.* Pacem libertatem eſſe, gnarum abundè Claudio Civili erat, cum apud Tacitum l. 3. Hiſt. cap. 16. diſſerereret, *miſeram ſervitutem, falsò Pacem* vocari. Inde Cicero Phil. 12. & 13. opponit pacem & ſervitutis pactionem, quando dicit: *Pax tamen ea pax ſit, non pactio ſervitutis.* & iterum; *In quo pactio pacis, lex ſit ſervitutis.* Alii loco libertatis *quietem* hîc ſupponunt. at non placet, ſynonymum enim illius, ut & *otium*, atque *concordia.* Flor. lib. 4. cap. 1. *Poſt primum bellum vix quadriennii requies, ecce alterum bellum.* Cic. pro leg. Agrar.

 Nihil

Nihil tam populare, quàm pacem, quàm concordiam, quàm otium reperiemus.

Deinde in deſcriptione præcedenti dictum, quod pax ſit *libertas publica.* Quod ut intelligi queat, obſervandum, populi, ſive publicam libertatem dupliciter accipi, ſtrictè & latè. Illo modo ſi accipiatur, regno, aut potius majeſtati, opponitur. Hinc Tacitus in veſtibulo Annalis primi: *Vrbem Romam à principio reges habuere. Libertatem & Conſulatum L. Brutus inſtituit.* & iterum libel. de Mor. German. cap. 37. *Regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas.* Hoc modo verò ſignat quamcunque poteſtatem, ſic ſummam, ut in ſemetipſa, plenum, ac ab ullo homine independens imperandi jus complectatur. Ita ſumitur apud Tacitum lib. 3. Ann. cap. 45. ubi ita Sacrovir: *Quàm decora victoribus libertas? quantò intolerabilior ſervitus iterum victis?* & lib. 1. Hiſt. alter ille: *Quid aliud ſibi reliquum quàm tenere libertatem, aut mori ante ſervitutem.* atque iterum in vita Agricolæ c. 2. *Dedimus profectò grande patientiæ documentum, & ſicut vetus ætas vidit quid ultimum in libertate eſſet, ita nos quid in ſervitute, adempto per inquiſitiones audiendi loquendique commercio.* Hanc libertatem in omni Imperii forma locum habere, teſtis unus Seneca eſſe poteſt, quando Ep. 19. ſic loquitur: *Interdum populus eſt, quem timere debeamus, interdum, ſi ea Civitatis diſcipli-*

na eſt, ut plurima per Senatum tranſigantur, gratioſi in ea timentur viri, interdum ſinguli, quibus poteſtas populi, & in populum data eſt. Poſterior hæc acceptio, uti inſtituto noſtro ſervit; ſic per *libertatem* intelligimus ſupremum jus, diſponendi citra cujuſquam arbitrium de rebus noſtris: quomodo convenienter à Florentino I. C. leg. 4. ff. de Statu hominum, libertas definitur; *Naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi, aut jure prohibetur:* publicam verò hanc eandem libertatem vocamus, quo pateat, eam reſpicere imperium & regimen. Ut verò omnia liquidiora appareant, tria amplius hac occaſione notamus.

Primo, ſi leges, duræ, & parum quin intolerabiles præſcribantur iis, quibus pax conceditur; pax nihilominus illud ipſum quod eſt, cenſeri debet, quandiu ſcil. αὐτοκρατορία ſalva manet illis, quibus fomentum hoc blandiſſimæ pacis contingit. Duo, & unice ad hoc facientia exempla, Livius ſuggerit. Prius occurrit lib. 30. ubi Scipio has leges, ante publicam pacis conceſſionem, fatiſcentibus ſub belli onere Carthaginenſibus fert; *Captivos, & Perſugas, & fugitivos reſtituant, exercitus ex Gallia & Italia deducant: Italia abſtineant. Inſulis omnibus, quæ inter Italiam & Africam ſunt, decedant. Naves longas, præter XX. omnes tradant. Tritici quinquaginta, hor-*

dei trecenta millia modium : pecuniæ ſummam, quantam imperaverit. Poſtea, repetito ante jurejurando, quo Scipio Pœnos juramenti ſecuriſſimos obſtringere moliebatur, haſce pacis leges latas fuiſſe, idem Hiſtoricus refert; *Vt liberi ſuis legibus viverent, quas urbes, quoſque agros, quibuſque finibus ante bellum tenuiſſent, tenerent, populandique finem eo die Romani facerent, perſugas, fugitivoſque & captivos omnes, & naves roſtratas, præter decem triremes, traderent, Elephantoſque, quos haberent domitos, neque domarent alios, bellum neve in Africa, neque extra Africam, injuſſu populi Romani gererent, Maſiniſſæ res redderent, fœduſque cum eo facerent, frumentum ſtipendiumque auxiliis, donec ab Rom. legati rediiſſent, præſtarent; decem M. talentûm Scipionis arbitratu darent,* &c. Alterum exemplum idem Scriptor lib. 38. exhibet, circa Ætolos, qui his conditionibus ad Pacis leges à Romanis admiſſi fuerunt: *Imperium majeſtatemque populi R. gens Ætolorum conſervato ſine dolo malo: ne quem exercitum, qui adverſus ſocios amicoſque eorum ducetur, per fines ſuos tranſire ſinito, neve ulla ope juvato, hoſtes eoſdem habeto, bellum pariter gerito, perſugas, fugitivos, captivoſque reddito, Romanis, ſociiſque, præterquam ſi qui capti cum domos rediiſſent, iterum capti ſunt, qui tum hoſtes erant Romanis, cum inter præſidia Romana Ætoli eſſent: aliorum qui comparebunt, intra dies centum Corcyreorum magiſtratibus ſine dolo*

malo

malo tradantur, qui non comparebunt, quando quiſque eorum primum inventus ſuerit, reddatur. Obſides X L. *arbitratu Coſ. Rom. ne minores* X I I. *annorum: major* X L. *obſes ne eſto. Prætor, Præfectus equitum, ſcriba publicus. quæ urbes, qui agri, qui homines Ætolorum juris aliquando fuerunt, qui eorum* L. *Quintio, Cn. Domitio Coſſ. poſt eos Coſſ. aut armis ſubacti, aut voluntate in ditionem Pop. Rom. venerunt, ne quem eorum Ætoli recepiſſe velint. Amades cum urbe agriſquę, Acarnanum ſunto.* Et tamen hi iidem Ætoli, quibus leges adeò ſtrictæ latæ fuerunt, ſartam tectam libertatem retinuerunt.

Secundo quando jus hoc, ſive libertas populo eripitur, quicquid etiam prætexatur, pax non eſt; ſed talis populus ſubigitur, tranſitque in poteſtatem victoris, qui ſuam dominationem hoc ſpecioſo Pacis titulo palliare ſolet. Querela hæc Britannorum de Romanis apud Tacitum in vita Agricolæ cap. 30. *Vbi ſolitudinem faciunt, Pacem appellant.*

Tertio hinc liquet, ipſos illos, qui victi videntur, eo ipſo quod pacem impetrant, & ad eam ſtabiliendam legatos mittere poſſunt, liberos cenſendos eſſe. Ut haut neceſſum ſit, alterutri parti, ab altera prius libertatem paciſci, cum *Pax* propriè ſic dicta, & qualis hic conſideratur, non poſſit obtingere niſi populo libero. Hinc Pax & victoria apud authores paſſim opponuntur. Liv. l. 30.

Melior

Melior tutiorque eſt certa pax, quàm ſperata victoria.

CAPUT III.

Pax honeſta atque ſecura eſſe debet.

QUo pacis natura, & deſcriptio, eam adumbrans in aperto eſſe queat; proximè *honeſtatem* expendimus: honeſta quippe pax eſſe debet, vel uno Polybio, ſcriptore graviſſimo, teſte. Is ita lib. 4. Hiſt. cap. 31. *Vt enim pace juſta & honeſta nihil pulchrius, nihil utilius: ſic ea, quam vel ignavia, vel ſervitus infamat, nihil neque turpius, neque magis noxium.* Et cur non? Honor ſiquidem omnibus aliis rebus potior cenſendus. arg. leg. 26. ff. ſi quis omiſſ. cauſ. text. in tantum ut bonis viris metus honoris perdendi, major quàm mortis eſſe debeat, ſecundum Paulum in leg. 8. §. 2. ff. Quod met. cauſ. quare Collatinum honeſtiora ſuadentem Romani magis probârunt, quàm Brutum utiliora ſuggerentem, teſte Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 2. Hoc Pacis proprium reſpicit Tacitus lib. 3. Hiſt. cap. 66. *Pacem & conditiones abnuebant Vitellio fidi: diſcrimen ac dedecus oſtentantes.* Quatuor verò occurrunt, quæ pacis honeſtatem præ cæteris delibant. 1. Servitus, ex Polybio jam nota. Ut enim Sen. Theb.

In ſervitutem cadere de regno, grave eſt.

Et

Et Cic. Philipp. 2. ubi deſcriptionem, antea à nobis propoſitam, luculenter illuſtrat: *Inter pacem, inquit, & ſervitutem plurimum intereſt; pax eſt tranquilla libertas: ſervitus malorum omnium poſtremum, non modo bello, ſed morte etiam repellendum.* Eoque hoc caſu, ſecundum ejuſdem Tullii monitum Phil. 3. *Cum dignitate potius cadendum, quàm cum ignominia ſerviendum.* II. Dei & religionis habenda ratio: quomodo enim honeſta cenſeri poteſt ea pax, quæ tum Deo ignominioſa. tum puriori ejus cultui multis modis præjudicioſa exiſtit? Præclarè Georg. Pachymerus lib 5. Hiſt. *Pax colenda eſt, ubi jacturam non facimus: rurſus bellum gerendum, ubi religio periclitatur.* Cujus enim habenda tandem ratio erit, ſi religionis non habeatur? *ſumma ſiquidem ratio eſt, quæ pro religione facit,* reſpondente Papiniano in leg. 43. in fin. ff. de Religioſ. *quæque in religionem divinam committuntur, in omnium injuriam fiunt,* reſcribente Theodoſio in leg. 4. Cod. de hæret. III. Inhoneſta cenſeri debet pax, quæ pretio tam grandi emitur, ut in poteſtate hoſtis ſit, per pacem maximopere roborati, quocunque tempore eos opprimere, quibus pacem donare videtur. Zonar. in Arcad. & Honor. *Quæ nimio pretio emitur, & ut potentior hoſtis reddatur, non eſt pax, ſed pactio ſervitutis.* Minimeque probanda pax, quam idem Zonaras teſtatur firmatam eſſe à Nicephoro

Imp.

Imp. qui pro ſalute Imperii triginta millia nummûm aureorum, pro vita verò tria millia in quoſque annos pactus fuit Perſis. Interim illi, quibus belli alea infeliciter cecidit, ne ad incitas redigantur, ſcrupuloſè deſpicere debent, quantum à rigido illo honeſto queant remittere. Cum ratione Curt. lib. 5. *Gubernator, ubi naufragium timet, jactura, quicquid ſervari poteſt, redimit.* Eoque hoc caſu ex conſilio Liv. lib. 25. *Satius eſt aliqua tolerabili conditione finire bellum.*

IV. Illa quoque *Pax* minus honeſta æſtimanda, quando qui pares cenſeri adhuc poſſent; ad ea ſe adigi patiuntur, quæ depoſitum planè ſtatum arguunt. Hoc nomine notandus Perſeus Macedoniæ Rex, quem clade, non tamen mortifera, accepta, ad Pauli Æmilii pedes non ſine probro, apud poſteritatem perpetuo deteſtando ſe abjeciſſe, teſtis eſt *Plutarch. in Æmilii Vita.* Præter *honeſtatem, ſecuritas* quoque pacem commendare debet. Quis enim libertatis pacificæ fructus erit, ſi comitem non habuerit ſecuritatem? Secura ergo pax ſit, quam hoc loco definimus.

Tum verò talis cenſenda eſt, quando nullis inſidiis patet. Cic. l. 1. Off. *Mea quidem ſententia, paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum.* Contra, non ſine ratione idem Phil. 7. *Pacis nomine involutum bellum reformido:* & Phil. 12. *Ego ante legato-*

rum

rum reditum auſus ſum dicere, Pacem ipſam ſi afferrent, quoniam ſub nomine Pacis lateret, repudiandam. Nec præter rationem Afer ille Siſyphus Jugurtha, apud Salluſtium; *ubi Metelli dicta cum factis compoſuit, ac ſe ſuis artibus tentari animadvertit; quippe cui verbis pax nunciabatur, cæterum re bellum aſperrimum erat, coactus rerum neceſſitate, ſtatuit armis certare.* At, quæ à *Pace* exſpectatur *ſecuritas*, ſæpè per difficultates, præter opinionem oborientes, turbatur. Nec omnes illæ ab eo, qui homo, prævideri poſſunt. Eoque antecedentia ſic attendantur, ut longè plures caſus, quàm cogitare quis poſſit, perpetuò exſpectentur.

CAPUT IV.

Pax finire debet bellum in perpetuum: eaque occaſione pax ab induciis, diſtinguitur.

Ampliùs *Pax*, jam antea deſcripta *bellum finire* debet. Neque enim verè cenſeri poteſt pax, quam bellum non præceſſerit. Concinnè Corn. Nepos in Epamin. dicit: *Paritur pax bello.* Quod fuſius explicat Ariſtot. l. 7. Polit. c. 15. Et Cic. Phil. 7. *Si pace frui volumus, bellum gerendum eſt; ſi bellum omittemus, pace nunquam fruemur.* & iterum or. 2. contra Rullum: *Fortiſſimus quiſque maximos labores ſuſcipiendos putat, ut aliquando poſſit eſſe in otio.* Simi-

Similiter Thucyd. lib. 1. *Pax magis confirmatur ex bello.* Inde Salluſtius ad Cæſarem: *Sapientes pacis cauſsâ bellum gerunt, & laborem ſpe otii ſuſtentant.*

Additur *externum bellum:* ſiquidem illud propriè pace finitur, cum civile ſive inteſtinum terminetur concordia, poſtliminio reducta. Signanter Liv. lib. 3. *Vrbano otio foris omnia tranquilla ſunt. Cura pacis, concordiæ quoque inteſtinæ cauſſa eſt.* & lib. 4. *Frui pace per inteſtina arma non licet.* Accuratè enim loquendo, motus domeſtici non tollunt aut obliterant Pacem; ſed uſum ejus minus jucundum præſtant. Interim uſu receptum, ut civilium armorum terminus pax quoque habeatur.

Unde ſeditioſi, qui hanc quietem, ſive concordiam turbant, pacem publicam turbâſſe cenſentur, in leg. 1. & 2. Cod. de ſedit. & leg. 16. ff. de appellat.

Porrò in definitione amplius dictum, *Pacem in perpetuum bellum terminare*; quod neceſſariò addi debuit, quo Pax ab induciis diſtingui poſſet. Induciæ enim, dictæ *quaſi indoitia.* contra quam Gellius originatur, lib. 1. Noct. Act. cap. 25. bellicos motus ad certum ſolum tempus ſufflaminant, cum pax planè eos finiat. Hinc eleganter *belli ferias*, togatorum doctiſſimus Varro in libr. rer. humanarum, *inducias* vocavit: ut enim Paulus IC. loquitur in leg. 19. §. 1. ff. de Captiv. & Poſtlim.

Poſtlim. rev. *Induciæ ſunt, cum in breve, & in præſens tempus convenit, ne invicem ſe laceſſant, quo tempore non eſt poſtliminium.* Egregiè Maro lib. 11. Æn.

Bis ſenos pepigere dies, & pace ſequeſtra
Per ſilvas Teucri, mixtimque impune Latini
Erravere jugis.

Ubi rectè Servius *ſequeſtram pacem*, temporalem explicat, id eſt, mediam inter bellum quod præceſſerit, & ſequatur. Alias induciæ nomen *pactionis* ferre ſolent. Sanè ita intellexerim hunc Flori locum lib. 4. cap. 12. *Sic,* inquit, *ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio.* Apud labentis ævi ſcriptores *Treuga* vocatur. Frodoardus in Chron. *Treugæ, vel induciæ belli inter Regem Ludovicum, & Hugonem Principem, uſque ad Synodi tempus, Ottone Rege mediante, diſponuntur*; hinc titulus Decretalium de Treuga & Pace. Interim non diffitendum apud ſcriptores antiquos ac Claſſicos, pacem pro longi temporis induciis accipi. Juſtinus lib. 3. *Feſſi tot malis pacem in annos quinquaginta fecere, quam non niſi ſex annis ſervaverunt.* Eodem modo apud Livium lib. 7. accipitur, uti notatum eſt Alberico Gentili lib. 2. de Jure Belli cap. 12. Certè pacis naturam induciæ imitantur, eo uſque, ut Vejentibus atque Hetruſcis in 100. 40. & 30. annos datis induciis, Pax domi eſſe dicatur, paſſim apud Livium lib. 1. 2. 4. 9. & 10. nun-

10. nunquam tamen Pax vera cenſeri poſſunt, cum non interrumpant ipſum bellum, ſed actus ſolummodò hoſtiles ſufflaminent: *Novum* autem *non eſt, quod eſt renovatum, ſive vetus repetitum; ſicut non omiſſum, quod intermiſſum*, ut dicit Angelus IC. in leg. 27. D. de pact.

CAPUT V.

Quomodo Pax publica conventione procuretur. Fœdus latius patet quàm Pax: ſi in pacis contractu, alter alteri leges det, cavendum ut illæ æquæ ſint.

DEin, ſecundum filum definitionis, quam dedimus deſpiciendum, quomodo *Pax per publicam conventionem* obtingat. Dicitur verò procurari *publica conventione*; ſiquidem partes contrahentes, & bello antea diviſæ, inter ſe de pace, & legibus, quibus pax tum coibit, tum etiam ſervabitur, tranſigere ſolent. Atque hinc patet conventionem, imò ipſum fœdus, quo pax firmatur, cum ipſa pace non debere confundi. Quod ad nomen enim fœderis, illud pace eſt univerſalius. Secundum Livium lib. 34. olim tria fœderum genera in uſu apud Romanos erant; unum, cum bello victis dicebantur leges; alterum cum pares bello, æquis conditionibus in pacem & concordiam veniebant; tertium, cum iis

iis qui hoſtes nunquam fuiſſent, ad amicitiam, ſocietatemque jungendam coibant. Interim fœdus plerunque vocatur, quod pacis cauſſa conſtituitur: egregium exemplum occurrit in *leg. 7. ff. de Captiv. & poſtl. rev.* Hinc & Servius, quem ſequitur Iſidorus lib. 18. Orig. cap. 1. fœdus *pacem* definit: & generaliter, hoc caput quorumcunque fœderum initiis præfigi ſolet, *Amicitia eſto*; ut latè probat Briſſonius lib. 4. de Form.

Quia verò interveniente conventione Pax firmatur, hinc leges quædam ferri ſolent, in quas qui antea diviſi erant, utrimque conſentire debent. T. Quintius apud Livium lib. 33. cum Ætolis pacem daret, ita incipit: *Captarum urbium, illa lex*, &c. Conditionem vocat idem Livius lib. 34. *Inde*, inquit, *Quintius adhibitis legatis tantum, Tribuniſque militum, conditiones, in quas cum Tyranno pax fieret, has conſcripſit.* Leges autem illæ variæ eſſe ſolent. Sæpè ſic uni parti favere videntur, ut alteri prima fronte graves, & admodum præjudicioſæ videri poſſent. Caveſis verò exiſtimes, mox actum eſſe de libertate, quando cum altera parte durius actum videtur. Contrarium antea patuit ex exemplis: hic idem docemus ex legibus. Sic Proculus d. l. 7. §. 1. *Liber populus is eſt, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus, ſive is federatus eſt: item ſive æquo federe in amicitiam venit,*

ſive

ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret. Hoc enim adjicitur ut intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe; non ut intelligatur alterum non eſſe liberum, & quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque auctoritate, neque dignitate, neque viri boni nobis præſunt: ſic eos, qui majeſtatem noſtram comiter conſervare debent, liberos eſſe intelligendum eſt.

Notandum verò hac occaſione victori, qui pacis leges ferre ſolet, ut leges quam æquas victo præſcribat; experientia quippe conſtat, eas benevolentiæ atque amicitiæ procurandæ tanto aptiores eſſe, quanto tolerabiliores fuerint. Quod Privernates à Romanis victi ſignificare voluerunt. Cum enim Cos. ex illis quæreret, ſi pœnam Romani remitterent, quam cum ipſis pacem habituri eſſent, ei reſponderunt: *Si bonam dederitis, firmam & perpetuam; ſin malam, brevem & incertam,* teſtis eſt Livius lib. 8. nec præter rationem; ut enim ibid. diſſerunt coram eodem Conſule: *Nec credideris ullum populum, aut hominem denique in ea conditione, cujus eum pœniteat, diutius quàm neceſſe ſit, manſurum.* Haud abludit illud quod Galliarum Rex Franciſcus I. in Hiſpania captivus ſecundum Andr. Mauric. lib. 2. Hiſt. Venetæ, dixiſſe fertur, cum Carolo V. Cæſari trium optionem faceret: aut ſe æterno carcere vinctum ſervaret; aut pro ſua magnanimitate

nimitate priſtina libertate donaret; aut, ſi tanta Burgundiæ potiundæ cupido animum ejus occupâſſet, pactionibus, quibus placeret, adſtrictum dimitteret. Carcerem, ſe fortiter laturum: pro libertatis dono gratum omni vita, memoremque tanti beneficii futurum: *iniquis legibus dimiſſum nunquam bona fide amicitiam culturum; ſed arrepta prima occaſione omnia hoſtilitatis ſigna editurum eſſe.* Ergo, *Fœderis æquas Dicamus leges, ſocioſque in regna vocemus*; Ut paucula illa à Virgilio ex lib. 11. Æn. mutuari liceat. Quæ tamen hîc monita, dextrè, & cum temperamento prudentiæ intelligenda ſunt. Tum enim æquitatis in dandis pacis legibus haberi debet ratio, quando illi, qui ut inferiores pacis leges eripere coguntur, meruerunt eas accipere, paratique ſunt, non ſimulatè, ſed candidè pacem amplecti: alias, ſi ſubdolè agant, acceptiſque æquis pacis legibus meditentur jugum excutere, ſic ſunt coërcendi, ut non poſſint in poſterum nocere. Obſervavit hoc Cyrus, Lydos & Sardios (refert Herodot. lib. 1.) armis mulctando, atque ad cauponarum exercitium invitando, ne ab impoſito jugo reſilirent. In hanc ſententiam, apud Appianum in Lybicis, olim conſulebat Lentulus debilitandam hoſtium potentiam, quorum perfidia præcaveri non poſſet. Temperamentum tamen adhibendum, atque pro variis circumſtantiis diverſimodè

modè quoque arbitrandum. Gnarum hoc maximè erat C. Julio Cæſari, de quo ſic Dion. l.38. *Non adeò præteritorum gerebat curam, quàm ut tutus in poſterum eſſe poſſet. Quare multis fecit gratiam offenſarum graviſſimarum, aut levi admodum vindicta fuit contentus, quum crederet illos ſibi temperaturos à maleficio: contra verò ſecuritatis ſuæ cauſſa, multos acerbius, quàm res ferebat, ultus eſt, ut alios ſupplicii gravitate abſterreret.*

CAPUT VI.

Quibus jus competat condendi Pacem: an Imperatori exercitus jus faſque ſit eandem condere?

EXaminare proximè convenit, quinam gaudeant jure condendi pacem, quibus pariter in præcedenti deſcriptione *jus belli* aſſeritur: nam quibus jus indicendi belli convenit, iis jus pacis haut quaquam denegari poteſt. Pari ſiquidem paſſu ambulant jus belli & jus pacis, uti latè probat Decius lib. 3. conſil.20. Utrumque autem ſic pertinet ad regalia prioris ordinis, ut nulli privato haud magis fas ſit pacem facere, quàm bellum indicere. Unde rectè Plato lib. 2. de ll. *Si quis pacem aut bellum fecerit privatus, ſine publico ſcito, capital eſto.* In Imperio ergo Monarchico, ubi rex non eſt ſpeciali pacto obligatus Ephoris ſive primoribus, itemque majorennis & mentis compos, ad hoc ſui juris (de incarce-

rato

rato enim & ab hoſtium arbitrio pendente aliter exiſtimare convenit,) jus pacis penes eum eſt. Secus ſtatuendum, ſi ipſe ſpeciali juramento Ephoris promiſerit, ſe eorum arbitratu bellum tum ſuſcepturum, tum finiturum eſſe. Quomodo Philippus II. Hiſpaniarum Rex anno 1555. cap. 3. Inaugurationis, ſub juramento Ordinibus Brabantiæ & Limburgi promiſit, *ſe ob cauſſas Principatuum earundem provinciarum contingentes, adverſus quenquam bellum non ſuſcepturum, aut pignorationem aliquam facturum, faciendamve curaturum, niſi de conſilio & conſenſu Ordinum Brabantiæ & Limburgi.*

Quod ad ſtatum Optimatum, & Democraticum, pax rata cenſetur, ſi plures in eam conſenſerint. Valere quippe hic illud Plin. debet l. 6. ep. 13. *quod pluribus placuiſſet, cunctis tenendum.* Niſi fortè ſpeciali lege cautum ſit, ut omnes in bellum, pacemve conſentiant. Sic federatæ Belgii provinciæ per unionem Ultrajectinam, quæ vinculum earundem provinciarum jure merito vocari poteſt, art. 9. ſe obſtrinxerunt, *quod nec bellum ſuſcipiatur, nec pax fiat, aut aliud fœdus percutiatur, niſi conſentientibus omnibus, quæ in fœdere ſunt provinciis.* Sic tamen ut arbitri controverſiarum, quæ hic oboriri poſſent, ſint Gubernatores provinciarum cum iis, quos ipſi tanquam adjutores aſſumere voluerint.

At

At quid exiſtimandum de Imperatore exercitus, poteſtne & ille ſuis auſpiciis pacem facere? Affirmativam ſententiam defendere nititur Duarenus ad leg. 5. ff. de Pact. per leg. 58. ff. de Procurat. Duareno obloquuntur Alb. Gentilis lib. 2. de jure belli cap. 10. & Ioh. Bodinus lib. 3. de Republ. cap. 2. quibus nos hactenus accedimus, quod exiſtimemus Imperatori vi generalis mandati, quod accepit, nequaquam fas eſſe, pacem condere, niſi ſpeciale ad hoc mandatum ab iis, quorum auſpiciis militat, acceperit. Ita Senator Carthaginenſis apud Liv. lib. 29. Romanorum legatis illud objecit: *Vos,* (inquit) *cum Lutatius Conſul primo nobiſcum fedus icit, quia neque authoritate Patrum, neque populi juſſu ictum erat, negaſtis vos teneri.* Hinc Sp. Poſthumius Conſul, qui ſponſionem fecerat, in Senatu ſententiam rogatus, hunc in modum diſſerit apud Livium lib. 9. *Quæ ſententia teſtis erit, mihi an legionibus veſtris pepercerim, cum ſeu turpi, ſeu neceſſaria ſponſione obſtrinxi: qua tamen, quando injuſſu populi facta eſt, non tenetur Pop. Rom.* Cumq; Albinus probroſam populo Romano pacem conceſſiſſet Jugurthæ, Senatus decrevit, *ſuo atque populi injuſſu nullum potuiſſe fœdus fieri*; quemadmodum videre eſt apud Salluſt. in B. I. Aliud exiſtimandum, quando ſpecialibus mandatis ad faciendam pacem Imperator inſtructus fuit. Sic Pacis leges Carthaginenſibus

bus dedit Scipio, Liv. lib. 30. Ætolis Quintius, Liv. lib. 32. Idem exiſtimandum, quando Imperatores belli ſub conditione in pacem conveniunt, quod pactum tum ratum eſt, quando aut à Rege, aut à Senatu Populoque probatur. Nec contrarium ſuadere poſſunt rationes à Duareno allatæ: quamvis enim mandato generali præſumantur includi actus aut medii, aut parum diſſimiles; neutiquam tamen includuntur actus contrarii, aut toto genere diverſi, utpote paciſci, tranſigere, leg. 18. ff. de Pact. in tantum ut Procuratori cum mandato generali ad agendum conſtituto, neutiquam competat arbitrium de lite tranſigendi. Verum quidem eſt, in cauſſis privatis, eum videri non receſſiſſe à mandatis, qui rem melius & utilius geſſit, ut latè docet *Tiraquell. de pœn.* 11. *cauſ.* 52. *n.* 3. *& ſeqq.* in publicis tamen alia interpretatio recepta eſt, juxta Modeſtinum in leg. 3. §. 15. ff. de re mil. ubi ita loquitur: *In bello qui rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non ſervavit, capite punitur, etiamſi bene rem geſſerit.*

CAPUT VII.

Agitur de iis, per quos pacis negotia expediuntur: qui ſunt aut Legati, aut Mediatores, aut ipſi Principes contrahentes. Singulorum ratione varia obſervatu digna notantur.

EX ordine, imo ex filo deſcriptionis, quam per disjuncta capita examinamus conſi-

B derari

derari deinceps debent pacis procuratores. Inter quos primo loco occurrunt legati, ſive oratores. Eos præ aliis rerum uſu & ſapientia inſtructos eſſe convenit: ardua quippe pacis negotia ſunt, nec quivis iis expediundis ſufficiunt. Inde non ſine ratione apud Menandrum in Ecl. leg. 142. illi, quibus id oneris imponitur, μέγιϛοι ſeu *maximi* vocantur. Præclarum Philippi Cominæi monitum lib. 1. occurrit, quod non poſſum non plenè hic referre: *Pacis tractatio prudentibus atque fidis hominibus eſt committenda. Eos à legatione reverſos audiat Princeps, ac ſolus: ne ſi minus jucunda renuncient, pavorem ea res atque metum inferat multitudini. Sunt enim omnes cupidi rerum novarum: &, non deſunt, qui quum familiariter norint legatos, audent ſibi polliceri, fore, ut omnia reſciſcant. Verum ſi judicio ſint præditi illi, cavebunt modis omnibus, ne quid efferant, quod vel alienationem animis, vel trepidationem excitare poſſit. Hoc ideo mihi dicendum fuit, quod Principes à ſuis non raro circumveniri ſciam in ejuſmodi actionibus, illos præſertim, qui præ faſtu & arrogantia, quæ ſit aliorum ſententia, non auſcultant. Nam qui ſe dimittunt, ac libenter aliorum judicia cognoſcunt, ii minus falluntur.* Caveant verò ipſi legati, quibus Pacis negotia tractanda imponuntur, pacem fœdum in modum nundinentur, atque pro ea impetranda pecuniam profundant. Inde ſapienter Mauricius Imp.

edixit

edixit Philippo genero ſuo, amplius agere cum Perſis de turpiſſimis induciis, irritatus ſuperba oratione Merodis Satrapæ, qui ad ipſum miſſus fuerat. Quippe is Merodes, coram exercitu auſus fuerat dicere Romanos, debere magno auro pácem à Perſis redimere: ut teſtis eſt *Theophylact. de leg. Gent. Roman. cap.* 1. Interdum tamen neceſſum eſt, aureis haſtis pugnet legatus; ſi ſcil. ejus, à quo miſſus eſt, interſit Pacem quam primum fieri. Haut neglexerunt Mileſiorum legati, qui, cum teſte Plutarcho, & Gell. lib. 11. Noct. Att. cap. 9. infeſtum præ cæteris experti fuiſſent Demoſthenem, tantum auri bolum objecerunt, ut poſtridie loqui non poſſet. Sed quid ſi Pacis negotia feliciter legatus expedierit, an à recenti amico donaria accipiet? Certe non paſſi ſunt Athenienſes. Verba ſunt Demoſthenis Orat. de fal. leg. *Majores noſtri Calliam Hipponici filium, qui legatus celebratam illam pacem fecit, ut nec intra ſpatium, quantum curſu equi uno die confici poſſet, rex Perſarum ad mare deſcenderet, nec ad Chelidoneas & Cyaneas longa nave accederet, quod in legatione munera accepiſſe viſus fuit, parum abfuit quin occiderent. Certè in referendis rationibus,* L. *talenta ab eo exegerunt.* Plus quam vir hic C. Fabricius, de quo ſic Grammaticorum doctiſſimus Gellius lib. 1. Noct. Att. cap. 14. *Iulius Higinus,* inquit, *in libro de vita, rebuſque illuſtrium virorum ſexto, legatos dicit à Sam-*

nitibus ad C. Fabricum Imperatorem populi Romani veniſſe, & memoratis multis magniſque rebus, quæ bene ac benivole poſt redditam pacem Samnitibus feciſſet, obtuliſſe dono grandem pecuniam, oraſſeque uti acciperet uteretur que: atque id facere Samnites dixiſſe, quod viderent multa ad ſplendorem domus atque victus deſieri: neque pro magnitudine dignitateque lautum paratumque eſſe: tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos, & infra deinceps ad nares, & ad os & ad gulam, atque inde porrò ad ventrem imum deduxiſſe; & legatis ita reſpondiſſe; dum illis omnibus membris, quæ attigiſſet, obſiſtere atque imperare poſſet, nunquam quicquam deſuturum: propterea pecuniam, qua nihil ſibi eſſet uſus, ab iis, quibus eam ſciret uſui eſſe, non accipere. Scio varias hic excogitatas eſſe diſtinctiones. at non muto ſententiam, legatum, eum maximè, qui pacem procurabit, exornat abſtinentia. Hac laude vehementer ſe commendat Cicero lib. 4. ad Att. ep. 2. *adhuc,* inquit, *ſumptus nec in me, aut publice aut privatim, nec in quempiam comitum. Nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hoſpite. Perſuaſum eſt omnibus meis ſerviendum eſſe famæ meæ.* At quotuſquiſque paria hic facit cum diſertiſſimo Romuli nepotum. Amplius quæritur, qualibus mandatis ſit inſtruendus, qui ad expediunda pacis negotia ablegatur? Cum multa, & quidem præter opinionem, quando pacis negotia tractantur, interveniant, viden-

tur

tur non reſtrictis, ſed liberis mandatis legati ornandi eſſe: ſic tamen ut memores ſemper ſint, ſi quid novi inciderit, quod reſpiciat exiſtimationem eorum à quibus miſſi ſunt, illud tempeſtivè ad eos referre; nullaque ratione committant, ut ea infirmentur, quæ ſarta tecta eſſe per omnia convenit. Sic Legati Romani, etſi ad plebem, quæ urbe exceſſerat, miſſi erant cum ſummo jure promittendi, quicquid illa poſtularet; ſimulac tamen Tribunorum plebis mentio facta fuit, rem novam & inauditam ad Senatum retulerunt, uti teſtis eſt Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 6. Contra L. Æmilio Conſuli, quod pacem Vejentibus dederat, æquam magis, quam populo Rom. victori honeſtam, Triumphum petenti objecta fuit arrogantia, quod de federis legibus non retuliſſet ad Senatum. Inſuper in omnem eventum ſecretis mandatis ornandus eſt Legatus, qui ea nullius hominis oculis ſubjicere debet, niſi ſuis: quandoque ne ſuis quidem, niſi certa lege. Talia mandata, teſte Frontino lib. 1. Strat. cap. 1. Hamilcar, cum navigaret in Siciliam, navium gubernatoribus dedit, & quidem ſignata, addito, ne quis legeret, niſi vi majori à curſu prætoriæ navis abductus eſſet. Similia, ut videre eſt apud Appian. Alex. in Libycis, acceperunt M. Manilius, & L. Marcius Cenſorinus Coſs. miſſi in Africa ad tertium bellum

Punicum. Nec alia à Senatu data fuerunt legatis miſſis in Græciam ad diſſolvendum corpus Achæorum, referente Livio lib. 25. Ejuſdem quoque notæ ea fuerunt, quæ teſte Herodiano lib. 7. Gordianus Senior exarata in pugillaribus Vitalliano miſit. Quicunque autem circa Pacis negotia agunt cum iis legatis, qui mandata, (quæ tamen non exhibent) identidem jactant, caveant etiam atque etiam ne facile fidem iis habeant. Hac ratione ſæpe deprehenſum eſt varios circumveniri. Contigit hoc Ludovico XII. Galliarum Regi fœdus pacis cum Ferdinando Hiſpaniarum Rege percutienti, Ludovicus in hac actione pro ſe ſpoponderat, pro Ferdinando verò illius gener Philippus Archidux Auſtriæ, qui tabulas quidem procuratorias ampliſſimas oſtentabat, quibus pacta generum rata habiturum promittebat; at interim attendit ad prœlii aleam, quæ dumbis feliciter cecidiſſet, à pactione reſiliit, *negantibus Hiſpanis, Philippum ſine ſpeciali mandato promittere quidquam potuiſſe.* Bodin. de Republ. lib. 5. cap. 6. *n.* 605. Antequam hinc diſcedimus, ſilentio prætereundum non eſt, inſidioſas ſæpe eſſe legationes illas, quæ ad peragenda pacis negotia mitti, atque commeare ſolent: notus ex Saluſtio eſt Jugurthæ dolus, qui ad Aulum Proprætorem, cum nullum periculum ſubeſſet ſupplices Legatos miſit, atque ſpe pactionis exercitum

tum Romanum primum muneribus corrupit, deinde armis oppreſſit, adeoque ſub jugum miſit. Quod quis miretur; hoc ipſum factitavit Scipio Africanus, atque tantiſper Siphacem Numidarum Regem lactavit, quam ſecure, omnibus præparatis eundem opprimere poſſet, ei amplius ſignificando, cum ad bellum redeundum eſſet; *ſe uno fruſtra tendente, nulli alii pacem placuiſſe*, uti refert Liv. lib. 30. Præ aliis improbum hic ſe exhibuit Henricus IV. Imp. qui pactis in biduum cum Saxonibus induciis oblataque ſpe perpetuæ pacis, palantes, & nihil minus quàm hoſtilia metuentes oppreſſit, ut præ aliis, notat Helmold. Presbyter in Chron. Slavor. cap. 27. Et tantum quidem de legatis: præter eos Pacis tractationi ſæpè interveniunt quidam μεσίται, ſive mediatores. Quos Cicero Phil. 12. *pacis procuratores* vocat. Hi aliquando ad promovenda pacis negotia maximum momentum adferunt. Sæpe enim Principes bello fracti ad pacem quidem anhelant, eam tamen ab hoſte petere, neutra pars ex dignitate ſua eſſe putat. Quo caſu nulla commodior cogitari poteſt ratio, quàm ut aliquis medium ſe præbeat, qui monendo, rogando, & denique quovis modo, volentes nolentes quaſi ad ea cogat, ad quæ tacito deſiderio utrimque anhelant: quo neuter ignominioſe pactus videatur.

 Sic

Sic anno 1537. Leonora Franciæ, & Maria Hungariæ regina ſorores germanæ inter Franciſcum I. Galliarum Regem, & Carolum V. Imperatorē octo menſium inducias pactæ ſunt; eoſdemque Principes anno 1544. iterum compoſuit Ferdinandus Rex. Plurimum verò hi pacis arbitri præſtiterint, ſi partibus diſſidentibus perſuaſerint illud Ciceronis ex lib. 2. Off. *Eſt non modo liberale paulum nonnunquam de ſuo jure diſcedere, ſed interdum etiam fructuoſum.* Ipſi verò in gratiam pacis, & tot millium ad eam anhelantium quanto ocyus feſtinent. Si alias certè hic cogitare convenit illud Taciti ex lib. 1. Hiſt. cap. 38. *Cunctationi nullus locus eſt in eo conſilio, quod non poteſt laudari niſi peractum.* Aliàs pacis negotia peraguntur ab iis, quorum auſpiciis eadem conditur. Omni memoria dignum exemplum habet Cuſpinianus in Rudolpho Auſtriacorum primo; cui cum lites armatæ multæ eſſent, & inter eas una atque altera cum Abbate S. Galli, principe eo ſeculo potente; ingeſſit ſe heros Præſulis convivio, nec exſpectatus, nec vocatus. Mirantibus illo atque aliis, ipſe conſtans & comis perſedit, atque à prandio cum Præſule locutus, tranſegit; Pacemque iniit adeo ſtabilem atque ſinceram, ut poſtea magnò ſibi ſubſidio fuerit, in bellis, quæ multa, ſed minuta (nam erat adhuc Comes Habsburgicus) cum vicinis geſſit. Abeuntis autem

vox

vox excepta eſt à familiaribus totidem verbis: *Cui contentiones tres, duæ componendæ ſunt, ut ſuper tertia triumphet.* Succeſſit hoc quidem ex animi ſententia Rudolpho, non facile tamen author fuero Principi, ut imitetur. Prudens eſt Philippi Cominæi monitum, quod habet lib. 3. Comm. *Imprudenter* (inquit) *faciunt Principes, æquali potentia præditi, meo quidem judicio, quod in collocutionem ipſi deſcendunt: niſi forte ea ſint ætate, ut præter jocos & ludum nihil ſpectent aliud. Nam poſteaquam grandiores evaſerunt, & æmulatio aliqua cœpit inter ipſos oriri, quod fere fit, non eſt conſultum, ut ipſi congrediantur: ac longe præſtat, ut controverſias, & quicquid eſt negotiorum, curent per legatos viros bonos & prudentes componi.*

CAPUT VIII.

Pax tum demum eſt illud quod audit, quando inviolabilis ſervatur. Quæ ad hoc requirantur? Obſides in hunc finem ſæpe adhibentur.

MIniſtris & procuratoribus pacis conſideratis, deinceps ejus finis notandus. Contrahitur & initur pax, *ad hoc ut inviolabilis conſervetur.* Eo quippe animo utrimque in pacem compromittitur, ut æterna atque inviolabilis perduret. Inde ille apud Dionyſ. Halicarnaſſæum lib. 3. *Non tam cogitandum eſt*

de ſarcienda in præſens amicitia , quàm id curandum ne bello iterum implicemur : neque enim ad differenda, ſed auferenda mala convenimus. Quare &, teſte eodem Dionyſ. Halicarnaſſæo lib. 6. apud Romanos hæc formula recepta fuit: *Romanis & Latinorum populis Pax eſto, dum cælum & terra eandem ſtationem obtinent.* quam & aliis quoque populis in uſu fuiſſe, liquet ex Herodoto lib. 4. unde & apud Procopium lib. 1. Imperator Romanus & Perſarum Rex pacem faciunt ſine termino. Nunquam verò paci ſuus definiri poterit terminus, ſi ab utraque parte ſubditi ad pacis conditiones ſervandas non minus ſtrictè adigantur, atque ipſi ſecundùm conſcientiam eaſdem ſervare tenentur, quatenus *contractus Principum vim legis habent.* Nec eſt ut quis ambigat, an pacis contractus, quem Princeps init, obliget quoque illius ſucceſſores. Tales enim contractus, ut & federa omnia, non nomine proprio, ſed reip. ineuntur, ac præſentantur per ſucceſſores quoſcunque legitimos *arg. l. 77. ff. de Iudiciis.* Unde non fuiſſe legitimam cauſſam rebellandi Vejentibus & Fidenatibus, regnante Tullo Hoſtilio; (teſtis eſt Halicarnaſ. lib. 3.) neque Latinis, regnante Tarquinio Priſco, qui poſt Anci exceſſum, federis religione ſe exſolutos eſſe exiſtimabant, uti idem Dionyſius teſtatur lib. 4. ac proinde jure Romanos Perſeo bellum intuliſſe, quod legatis ipſorum reſpondiſſet,

ſpondiſſet, fedus cum Philippo patre percuſſum, nihil ad ſe pertinere, quemadmodum refert Livius lib. 42. Plurimum autem ad pacis obſervationem confert moderatus animus eorum, quibus dulce hoc fomentum contingit; ſi enim in eo nihil rancoris ſuperſit, facile ſe componere poteſt, ſecuruſque vindictæ, præſenti ſtatui acquieſcit. Contingit autem hoc tum plerunq; quando inter æquales potentia & exiſtimatione pax coaluit Præclarè Thucydides lib. 4. *Stabilius diſſolvuntur magnæ inimicitiæ, cum æquales adhuc pacem faciunt, non quando altera pars ſe ulta eſt, & plura obtinens alteram cogit pacis conditiones petere aut accipere: ſed cum modeſte offert pacem, etiam dum poteſt pugnare, & vincit moderatione atque manſuetudine præter exſpectationē. Nam altera pars cum agnoſcit ſe non debere pugnare, tanquam vi coactam, ſed mutuam gratiam debere, pudore movetur ut conſtantiam præſtet in pacto: ac magis hoc faciunt homines erga majores adverſarios, quam minores. Libentius enim cedunt ultro cedentibus: ſed contra ſuperbos ſuſtinent pericula etiam præter opinionem.* Præterea quo inviolabilis atque æterna pax perduret, obſides ſæpe imperantur. *Sic obſidum nobiliſſimis firmata ſocietas Germanorum & Gallorum*, ſecundum Tacitum lib. 4. Hiſt. cap. 27. Aliquando autem alteri ſolum ex contrahentibus, ii ſcil. qui victi putantur, obſides dant. Ita apud Aimonium lib. 2. cap. 27. Sa-

xones Clothario ſuarum rerum mediam partem, exceptis conjugibus ac liberis, loco pignoris offerunt, pacem petentes. Nonnunquam utrimque dantur: quomodo idem Aimonius lib. 4. cap. 191. inter Danos & Francos pacem firmatam per obſides refert. Ut licet per obſidem ſecuris eſſe iis, qui contrahunt (ſi metus aliquis forte ſubſit) tales imperare convenit, qui gratiſſimi ſint, & quorum jactura vitæ dulcedine æquiparetur. Ita olim Romani ab Hiſpanis (quorum jam tum ſubleſta fides in vulgus nota erat) liberos obſides exegerunt: quod *unum pignus inclinatos ad Romanam ſocietatem, omnium Hiſpaniæ populorum animos morabatur, ne ſanguine liberorum ſuorum culpa defectionis lueretur*, ut teſtatur Liv. lib. 22. Mirum verò, quam Romani mortalium ſapientiſſimi, atque à fundendo ſanguine alieni, in eos obſides quorum domini fidem fefelliſſent, ſeveriſſime animadvertere conſueverint. Trecentos Volſiorum obſides ſecuri aliquando percuſſos fuiſſe, teſtis eſt Liv. lib. 2. qui & lib. 25. teſtatur, Tarentinorum obſides fugientes Romam retractos, atque è Tarpejo Saxo præcipitatos fuiſſe. Fateor, durum hoc prima fronte videri, ſiquidem ſecundum Icc. *noxa caput ſequitur*, leg. 18. ff. de Furt. l. 17. §. 7. ff. de injur. interim hac ratione Romani ſeſe venerabiles præſtiterunt, nec temere à Tacito dictum lib. 15. Annal. *habet aliquid*

aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur. Et hæc quidem obiter de obſidibus. Aliàs juramento ut plurimum pacis federa firmari ſolent. Ut alios ad partes non vocemus, teſtis inſtar omnium Guntherus poteſt eſſe lib. 8. ita canens:

Tunc proceres ſtabilem jurando nectere pacem,
Rector & adjecta certo ſub nomine pœna,
Italicas late juſſit vagare per urbes.

Nec illud χθὲς ἢ πρώην demum in uſu eſſe cœpit. Jam olim obſervatum fuit Patriarcharum tempore. Quomodo Iſaac & Abimelech, cum utrimque in pacem conſenſiſſent, juramenti religione ſacroſanctum illud fedus confirmârunt. Nam ut Moſes refert Geneſ. cap. 26. v. 30. & 31. *Quum Iſaac feciſſet convivium, comediſſentque & bibiſſent: ſurgentes mane juraverunt alter alteri.* Quæ omnia ut fiunt majoris ſecuritatis gratia, ita ipſe Deus vindex eſſe ſolet eorum, qui fcedera violant, haud impunitos eoſdem dimittendo. Vere & ſecundum hiſtoriarum ſine numero fidem Bodin. lib. 5. de Rep. cap. 6. *Siquis*, inquit, *omnem antiquitatem, & bellorum memoriam ab ultimo Principe repetat, profecto reperiet, eorum, qui pacta violarunt inducias, miſerrimos exitus & civitatibus ac populis calamitoſiſſimos extitiſſe.* Quicunque ego in pacis fœdera coitis, Silium audite lib. 13. ſic proloquentem:

Fæde-

Fœdera mortales ſævo non rumpite ferro,
Sed caſtam ſervate fidem. ------
Quid juvat? & violaſſe ſacræ promiſſa quietis
Pignora, quæ tibi tanta animo impatiētia venit?

CAPUT IX.

Federa tamen pacis ſæpe violantur, & quidem ab illis, qui maximè ea ſarta tecta ſervare deberent. Quot modis Pax violetur? Qui pacem violat, aut verbis, aut armis caſtigandus eſt.

ET tamen illi ipſi, qui federum religionem præ aliis tutari deberent, ſæpe omnium primi eandem violare deprehenduntur, ſecuri illius Plutarchi moniti in Ageſilao: *Qui rupto fœdere injuriam inferunt, Numinis ſunt contemptores.* Innuo autem Romanos Pontifices, quibus quotidianum prope, fœdera violare, & pacis ſecuritatem inter Chriſtianos Principes turbare. Si Guicciardino fidem habemus, Julius II. Pontifex, adeò neglexit fidem & jusjurandum, ut jactare conſueverit, ſe federa cum Gallis, Germanis, Hiſpanis, & Barbaris fallendi & decipiendi cauſſa contrahere. Quantus quoque hac in parte artifex fuerit Alexander VI. patet ex Machiavelli *Principe cap.* 18. Multis verò modis pax violatur. Primo ab iis, qui non reſtituunt ea, quæ reſtituenda eſſe convenit. Rectè Thucyd. lib. 5. *Non conſentaneum eſt, ut pax vera exiſtimetur,*

tur, quando neque redduntur, neque viciſſim accipiuntur ea, quæ, ſicut convenit, reddi debebant. Secundo, qui priores injurias inferunt, pro pacis turbatoribus habendi ſunt. Idem Thucyd. lib. 1. *Fœdera violant, non qui deſerti auxilia quærunt, ſed, qui ſocios non defendunt.* Tertiò iiſdem accenſendi, qui clanculario & in alterius partis perniciem arma parant. Procopius lib. 2. de B. Perſico: *Solvunt pacem, non qui bellum primi movent, ſed qui per inſidias fœderum tempore arma capiunt.* Quarto eodem loco habendi, qui auxilia ſociis non præſtant, ſi modo ita inter alia convenerit. Thucyd. lib. 1. *Violant fœdera, non qui deſerti alia auxilia quærunt, ſed, qui ſocios non defendunt.* Qui fœdus verò pacis rupit, *aut verbis, aut armis caſtigandus eſt*, ſecundum Liv. lib. 22. Interim, antequam pœna acceleratur illis armis depromptis, qui pacis, fœderiſque leges violaſſe videntur; ex re eſt per legatos expoſtulare cum iis, qui officio hic ſuo non videntur ſatisfeciſſe: eorum quippe munus eſt aut jure experiri cum fœderis violatoribus, aut petere, ut pacta, ab iis non ſervata, planè reſcindantur. Quandoquidem verò ſæpiſſime fit, ut inter confœderatos de fœdere ipſo, aut aliis quandoque rebus controverſiæ oriantur, quæ facile amicitiam contractam labefactare queant; ex re eſt, conſtitui quoſdam pacis arbitros, quorum judicio circa obortas controverſias utrimque ſtandum

ſtandum eſt. Quod ſi autem, uti non raro fit, aliquis pacis protector conſtitutus fuerit, ejus officium eſſe debet, fœdus ipſum pacis, quam diutiſſime conſervare, nec ſiniſtram ullam affectati imperii quoque, vel leviſſimam ſuſpicionem concitare, ſed eundem per omnia ſeſe utrimque exhibere. At hac de re in alio opere latius.

CAPUT X.

Quanta Pacis dulcedo ſit? Cujus tamen omnes non ſunt capaces. Imo quorundam ingenium ab eadem alienum.

DEinde ad alia nos convertimus: atque initio quidem Pacis, in qua commendanda multi ſibi hautquaquam ſatisfacere potuerunt occurrunt commoda. Ei celebrandæ integram Comœdiam ſacravit Ariſtophanes, quæ & Pax inſcribitur, duas orationes Ariſtides; alii alia. Nec ſine ratione. Nam ſecundum Silium Italicum lib. 11.

Pax optima rerum
Quas homini noviſſe datum eſt, pax cuſtodire ſalutem,
Et cives ſervare potens.

Simi-

Similiter Prudentius poëta Chriſtianus in ſua Pſychomachia:

Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum
Pax belli exacti pretium eſt, pretiumque pericli:
Sidera pace vigent, conſiſtunt terrea pace:
Nil placitum ſine pace Deo. Non munus ad
aram.

Secundum Ciceronem Phil. 2. *Et nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris.* Et pro leg. Agrar. *quâ* (ſcil. pace) *non modo ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atque agri lætari videntur.* Inde & Carolus V. in Procem. Leg. Reg. Capit. *Pace mortalium generi ab immortali Deo nihil majus, neque melius, nihil præſtantius, neque optatius dari in hac quidem vita poteſt.* Et ex recentioribus Hiſtoricis Barth. Facius lib. 9. *Nihil eſt aut animo acceptius, aut auribus ſuavius, quam de pace & benevolentia verba facere. Irrepit enim, neſcio quomodo, ſenſus noſtros, ac vehementer retinet, totoſque prope actus permovet. Eſt enim inſitus natura mortalibus pacis & otij amor: ſed aut mala conſuetudine, aut nimia cupiditate nonnunquam ex animis noſtris elabitur. Quæ poſtea ſi quando renovatur; multo ſit profecto dulcior ac jucundior neceſſe eſt.* & poſt paulo: *Pax non modo ipſa dulcis eſt, ſed etiam ipſius nomen blandum ac ſuave: tum res ipſa, ut ſapientes dicere audio, ſalutaris. Hac enim agri,*

hac

hac urbes, hac res privata, hac reſpublicæ, hac denique regna conſtituuntur & conſervantur: Mihi quidem ſemper ita viſum eſt, qui pacem negligerent, hos ſummam hominum ſœlicitatem haud ſatis cognoſcere. Totius enim ſœlicitatis fructus eſt pax. Quid enim proderat diſperſos homines èloquentia conciliâſſe; niſi conciliatos pax ipſa in ſocietate & charitate contineret. &c. Si quis ex viris principibus unquam pacis emolumenta explorâta habuit, næ perſpectiſſima illa fuerunt Alphonſo Arragoniæ Regi, uti videre eſt apud Ant. Panormit. lib. 3. de rebus geſtis Alphonſi. Ludovico Podio (quo ob expertam fidem Oratore in Italia Rex uti ſolet) renunciante, pro pace, quam Venetis & Florentinis daturus eſſet, amplius ducenta millia aureorum extorqueri poſſe, reſpondit; *Pacem dare ſe, non vendere ſolitum eſſe.* Idem quum eſſet Valentiæ, appulerunt eò Caroli Francorum Regis legati, magnopere eum rogantes, ne per id tempus, quo Rex eorum bello Britannico implicitus eſſet, contra ſe bellum aliquod ſuſcitaret, (quam maximè enim verebatur Carolus, ne Alphonſus captata occaſione eum armis laceſſeret, propterea quod jus prætenderet in eam Galliæ Narbonenſis partem, quæ propriè Occitana vocatur) reſpondit Rex; *Etſi certo ſcio, plures Narbonenſis Galliæ civitates ad Arragoniæ regnum pertinere, quas Carolus Rex jampridem occupatas detineat: nihilominus tamen*

tamen hoc tempore, quo illum intelligo bello ſuperatum, & à Britannis protritum eſſe, nequaquam me arma contra profligatum Regem ſumpturum eſſe, vobis affirmo: neque eo animo eſſe, ut quod majores mei in Caroli proſperitate non petierunt, ego in ejus repetam calamitate. Sexcenta farinæ ejuſdem adferrem, niſi eadem mihi ſententia, quæ Scauro ſederet, qui apud Senecam Patrem lib. 9. Controv. 5. pronunciat. *Non minus magnam virtutem eſſe, ſcire deſinere, quam ſcire dicere.* Illud tantummodo addendum, tantam eſſe pacis gratiam atque prærogativam, ut nomen *Pacis* apud Hebræos, pro quovis proſperitatis genere, feliciquc rerum omnium ſucceſſu accipiatur, ut videre eſt Gen. 29. 6. & 41. 16. Ioſ. 10. 21. 1. Sam. 10. 4. 2. Reg. 6. 6. Eſa. 26. 3. Ier. 15. 5. Pſ. 122. 7. 1. Cor. 1. 3. Eph. 6. 23. alijſque multis in locis. Imo Deus, (qui *Deus pacis* vocatur Rom. 15. v. ult. Phil. 4. 9. & Heb. 13. 20. *Dominus pacis*, 2. Theſſ. 3. 16. *Deus pacis & dilectionis*, 2. Cor. 13. 13. *item Deus non diſſenſionis, ſed pacis*; 1. Cor. 14. 33.) pacem hanc externam, tanquam eximium beneficium largitur. Agnoſcit ad Dei gloriam ſapientiſſimus Regum Salomon, ſic loquens 1. Reg. 5. v. 5. *Nunc pacem dedit Iehova Deus meus mihi circumquaque: non eſt adverſarius, neque occurſus mihi.* Et iterum in ſolemni ſua precatione 1. Reg. 8. v. 58. *Benedictus Iehova,*

qui

qui dedit quietem ſuo populo Iſraëli Non quis miretur Romanos Paci, tanquam Deæ templum dedicaſſe, ac Panſos Deos, uti liquet ex Arnobio lib. 1. contra Gentes, Pacis moderatores ſtatuiſſe. Neç omnibus tamen hoc pacis lenimen, æque commodum. Neceſſarium, imo perneceſſarium ijs, qui novum imperium auſpicantur. Gnarum apprime Tiberio fuit lampada ab Auguſto accipienti. Sic enim de eo Tacit. lib. 2. Ann. cap. 65. *Nihil æque Tiberium anxium habebat, quam ne compoſita turbarentur:* Inde & Ferdinandus Arragonius, uti teſtis eſt Guicciardinus lib. 1. quamvis juſtiſſimas haberet cauſſas bello petendi Italum illum ſtellionem Ludovicum Sforziam; nunquam tamen voluit, ne Italiæ quietem, quam rebus ſuis neceſſariam videbat, turbaret. Interim quod quis cum ratione miretur, pax ſæpe multis gravis fuit, & parum quin intolerabilis. Ita enim Alaricus in Claudiani Paneg. de VI. Conſ. Honorij;

——— *pro fœdera ſævo*
Deteriora jugo? tunc vis extincta Getarum
Tunc mihi, tunc lethum pepigi. Violentior armis
Omnibus expugnat noſtram clementia gentem;
Mars gravior ſub pace latet, capiorque viciſſim
Fraudibus ipſe meis. quis jam ſolatia feſſo,
Conſiliumve ferat? ſocius ſuſpectior hoſte.
Atque utinam cunctos licuiſſet perdere bello!

Similiter olim Spartana reſp. tota erat Martia, ab

ab ipſo Lycurgo compoſita ad proferendos imperij fines. Nec inſtituto defuit eventus. Quandiu enim bella geſſère, immota ac inconcuſſa ſtetit reſp. poſtquam verò, ut refert Polyb. lib. 1. imperium Græciæ pugnando conſequuti ſunt Lacedæmonii, vix duodecim annos ſine offenſione tenere potuerunt. Imo omnium ingenia non ſunt compoſita ad Pacem, Vellejus Paterc. lib. 2. de C. Mario agens, teſtatur *virum quantum bello optimum, tantum pace peſſimum fuiſſe.* Ei diſpar per omnia Cluvius Rufus, teſte Tacit. lib. 1. Hiſt. cap. 8. extitit *vir facundus & pacis artibus, ſed belli inexpertus.* Eoque rara illa Agricolæ laus, quam ei adjudicat gener Tacitus in Vita cap. 9. *Credunt plerique, militaribus ingeniis ſubtilitatem deeſſe, quia caſtrenſis juriſdictio ſecura ac obtuſior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile juſtéque agebat.* Idem de ſe jactat Iulianus apud Marcellinum lib. 21. *Id præ me ferens, quod exercitui, cujus æquitas armorumque inclaruit magnitudo, & domi moderatus viſus ſum & tranquillus; & in crebritate bellorum inter conſpiratas gentium copias conſideratus & cautus.* Ab his dotibus ſuum quoqueTrajanum commendat Plinius in Panegyrico, ubi hæc inter alia, unicè nobis ſervientia, occurrunt? *Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace. Aliũ toga,*
ſed

ſed non & arma honeſtârunt. Reverentiam ille tenore, alius amorem humanitate captavit. Ille quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit: poſtremo adhuc nemo extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur, &c.

CAPUT XI.

Peculiares ſunt pacis artes. Præ cæteris religioni & juſtitiæ vacandum. Diſtincte de Religione agitur.

QVum ergo hæc ita ſeſe habeant, nec omnium ingenia ad pacem compoſita ſint, ſingularis ars atque induſtria ijs, qui pacem colent, adeſſe debet. Vere Tacit. lib. 4. Hiſt. cap. 1. *Pax & quies bonis artibus indigent.* Alibi non dubitat idem Scriptor has artes ſapientiæ nomine inſignire. Sic legas apud eum lib. 2. Ann. cap. 64. *Pacem ſapientia firmans Tiberius; lætior quàm ſi bellum per acies confeciſſet.* Similiter Romana Sappho, Sulpitia Poëtria in Catalectis Vet: Poët.

——— *Duo ſunt, quibus extulit ingens*
Roma caput: Virtus belli, & ſapientia Pacis.

Longe verò difficiliores ſunt hæ Pacis artes ijs, quibus bellum geri ſolet. Liv. lib. 2. *Adeo excellentibus ingenijs citius defuerit ars, qua civem regant, quàm qua hoſtem ſuperent.* Præclare Chryſoſtomus in Orat. Rhodiana: *Sicut,*

Sicut, inquit, *in navagantibus videre eſt, quod tempeſtate irruente, aut vento vehementi, ne laſciviſsimi quidem inter eos quid turpe faciunt, ſed duntaxat ad navigandum advertunt animum; in tranquillitate verò & nauturam & vectorum pariter conſpiciuntur procacitates, etiamſi non ſint libidinoſi: Simili opinor modo & in bellis evenire ſolet, ut & ignaviores excitentur & excellant; in tanta autem pace & ſocordia optimorum virorum, in nullam turpiditudinem aut confuſionem deduci, non eſt quorumvis, ſed ſingulari virtute præditorum.* Quænam verò hæ pacis artes ſint haut in proclivi eſt ediſſerere. Præ aliis exploratas eas habuiſſe videtur alter Romanorum Rex Numa Pompilius, qui imperium, quod Romulus armis atque vi munire cœperat, religione atque juſtitia confirmavit; uti præ alijs notavit Florus lib. 1. cap. 2. & diſtinctius Halicar. cap. lib. 2. Rom. Ant. *Duas res exiſtimabat Numa Romanorum Rex II. magnopere pertinere ad fælicitatem & incrementum civitatis. Pietatem ante omnia docuit homines, quod Dij mortalibus omnium bonorum auctores & conſervatores ſint: deinde juſtitiam, per quam conceſsis divinitus commodis frui liceat.* Religio ſiquidem & juſtitia validiſſima vincula ſunt, quibus pacis tempore, imperium, aliis forte male cohærens, colligari quaſi poteſt. Prima autem cura pro religione ſuſcipi debet. Vt enim Lactantius lib. de Ira cap. 12. dicit: *Religio*

Religio & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem. Quod ipſis quoque Gentilibus non ignarum erat, inde Livius lib. 5. *Intuemini horum deinceps annorum vel ſecundas res, vel adverſas, invenietis omnia proſpere eveniſſe ſequentibus Deos, adverſa ſpernentibus.* & C. Marcius apud eundem lib. 44. inquit: *Favere pietati fideique Deos, per quos populus Romanus ad tantum faſtigij pervenit.* Et cur non ſuſciperetur? Divinum eſt oraculum, quod annunciat Eſaias cap. 60. v. 12. *Gens & regnum, quæ non ſervient Deo, peribunt.* Præiverunt hac in parte reges pientiſſimi, Salomon & Aſa, quorum exemplum ſi Chriſtiani Principes hoc tempore imitentur, næ theſauro pacis, qui ſane auguſtus, rectè utentur. Eoque ut paria facere poſſint cum tantis regibus, quorum nomina ipſe Spiritus Sanctus commendat, *primo* ſi quid forte abominationis, aut cultus idololatrici inter fines imperii ſui adhuc deliteſcat, exterminent, nullaque ratione (ſi modo potentia ad hoc adſit) ſupereſſe permittant. Fecit hoc Aſa, de quo ita legitur 2. Chron. 14. v. 5. *Amovit ab omnibus civitatibus Iehudæ excelſa & ſubdiales ſtatuas: quum quieſceret regnum coram eo. Secundo,* ſi quid deſideretur adhuc circa exercitium religionis, omnibus modis opera danda eſt, ut illud quam primùm expediatur; ne tam commoda occaſio, ab ipſo Deo oblata

oblata, negligatur. Præivit hac in parte Salomon, ſuperiori quoque capite ad partes vocatus. Sic ipſe enim loquitur lib. 1. Reg. cap. 5. v. 4. & 5. *Nunc quietem dedit Iehovæ Deus meus circumquaque: non eſt adverſarius, nec occurſus mali. Quamobrem ecce cogito ædificare domum nomini Iehovæ Dei mei.* Amplius *tertio* exemplo ejuſdem Aſæ opera danda, ut ſubditi legibus Dei, ijs obſequium præſtando, ſeſe mancipent. Nam is ſimulac quietem nactus fuit, ut, loco jam antea citato, refertur: *Edixit Iehudæis, ut requirerent Iehovam Deum majorum ſuorum, & ut facerent legem & præceptum ejus.* Interim religio, cujus cultum pacis tempore urgeo, à quo non prætexitur? in ore eam omnes ferè habent, quum tamen non tam verbis, quàm operibus profitenda, vanaque omnis illa confeſſio cenſenda ſit quando *fides non eſt per charitatem efficax,* juxta admonitionem Apoſtoli Gal. 5. v. 6. Ut rectè à Lactantio dictum ſit lib. 5. Div. Inſtit. cap. 9. *Chriſtianorum omnis religio ſine ſcelere & ſine macula vivere.*

CAPUT. XII.

Agitur de altera virtute, Pacis tempore colenda, ſive de Iuſtitia; cujus occaſione multa notatu digna proponuntur.

Altera virtus, in pace præ alijs colenda, juſtitia eſt. Quæ non tantum ſecundum

 Ciceronem

Ciceronem lib. 1. de Off. *fundamentum eſt perpetuæ commendationis & famæ; ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile*: ſed etiam ſecundum Platonem jure merito cenſeri debet, ἕρμα πόλεων, ſive *fulcrum civitatum*. Hinc jure meritò Pindarus fingit Jovem Soterem habitantem cum Themide: Regem ſervatorem juſtum hoc modo interpretans, ut refert Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. Nam *ut* (verba ſunt Ciceronis in Fragm. lib. 2. de Rep.) *in fidibus ac tibiis, atque cantu ipſo, ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur, & congruens: ſic ſummis, & infimis, & mediis interjectis ordinibus, ut ſonis, moderata ratione civitas conſenſu diſſimillimorum conſiſtit; & quæ harmonia à Muſicis dicitur in cantu, ea eſt in Civitate concordia, quæ ſine juſtitia nullo pacto eſſe poteſt.* Ratio autem illa habenda eſt in rep. omni tempore. Recte Dio Caſſius lib. 41. *Omnino*, inquit, *ſumma nobis juſtitiæ eſt habenda cura: cum qua etiam de armorum potentia ſpes bona propoſita eſt: ſine ea nihil perpetuum exſtat, ut maximè in præſentiarum quis victoriam obtineat.* Juſtitiæ autem conſtabit pacis tempore ratio, ſi ea adminiſtretur ex præſcripto legum. Verè monet Tacit. lib. 3. Ann. cap. 68. *A legibus delicta puniri.* & lib. 15. Ann. cap. 20. *Neque utendum imperio, ubi Legibus agi poteſt.* Quantum in legibus ſitum

ſitum ſit, exploratum erat Ciceroni, cum lib. 3. de LL. ſic loqueretur: *Vt enim Magiſtratui leges, ita populo præſunt Magiſtratus*; veréque dici poteſt: Magiſtratum *legem eſſe loquentem, legem autem mutum, Magiſtratum.* Circa leges verò, ſecundum quas jus dicitur, atque juſtitia adminiſtratur, etiam atque etiam curandum eſt, ut, novæ leges quàm parcè ferantur. Siquidem quo plures leges ſunt, eo quoque major exiſtit litium ubertas: ut enim ſcitè dicit Archeſilaus Scytha, apud Laërt. multæ leges haut aliter ægræ civitatis ſunt indicium, atque medici multi argumento ſunt, multos in urbe, quam incolunt, morbos graſſari. Adſtipulatur Plato lib. 3. de LL. ſic loquens: *Vbi multæ leges, ibi & lites multæ, & vita, moreſque pravi.* Antiquas quoque leges facile mutare atque novare non convenit, verum quippe illud Taciti lib. 14. Ann. cap. 43. *Super omnibus negotiis melius atque rectius olim proviſum, & quæ convertuntur, in deterius mutantur.* Nec præter rationem Cleon apud Thucydidem lib. 3. Hiſt. *Ea reſp. quæ malis quidem, ſed tamen immotis legibus utitur, præſtantior eſt illa, quæ bonis quidem legibus utitur; ſed tamen mobilibus & inconſtantibus.* Notatu digna eſt Auguſti Cæſaris cohortatio ad Senatum Romanum, quam habet Dion Caſſius lib. 52. dignaque cenſenda, quam Pacis tempore Magiſtratus expendant atque

meditentur: *Poſitas ſemel leges conſtanter ſervate, nec ullam earum immutate: nam quæ in ſuo ſtatu, eademque ſemper manent, etſi ſint nonnihil vitioſa, utiliora tamen ſunt his, quæ per innovationem, vel meliora inducuntur.* Scrupuloſè quoque pacis tempore obſervandum, ut ſine perſonarum acceptione juſtitia adminiſtretur. Tantum autem abeſt, ut gratiæ quid in jure tribui poſſit, *probi* quoque (verba ſunt Authoris Dialogi de Oratore) *& modeſti Iudices in his cognitionibus ſe excuſant, in quibus manifeſtum eſt, aliarum apud eos partem gratia prævalere.* Quanquam autem *malè audire plerunque Iudicum nimia ſeveritas ſolet, nec unquam in convitium niſi aſperæ ſententiæ veniunt*, quemadmodum loquitur Quintilianus Decl. 300. ſeveritas tamen pacis tempore exercenda, nec ulla ratione committendum, ut quis impune pacem publicam violet, atque novo bello occaſionem præbeat. Quanquam enim Magiſtratus ignoſcere ijs poſſunt, qui in ſe peccaverunt, delicta tamen contra Remp. impunita dimittere non poſſunt. Philippi Macedonum Regis dictum eſt apud Polyb. lib. 4. *Si quid adverſum ſe ſocij privati molirentur, ſuæ intereſſe illos duntaxat verbis aut literis admonere: ſi quid verò publice in ſocios committerent, publica pœna atque animadverſione eſſe plectendos. Et hæc eſt*, inquit Dio Caſſius lib. 55. Hiſt. *hominum ſententia, privatis omnes injurias proſequendas, ne*

ne vel contemptui inde habeantur, vel opprimantur: principem verò decere ea, quæ in remp. peccantur ulciſci: privatim in ſe admiſſa tolerare. Opera quoque danda eſſet; ut pacis tempore lites minuerentur. Nam ut rectè Cicero Orat. pro Muræna animadvertit: *permulta præclare legibus ſunt conſtituta, quæ Iuriſconſultorum ingenijs corrumpuntur & deprrvantur.* Exploratum apprime erat C. Julio Cæſari, qui ſimulac quietem indeptus erat, jus civile ſtatuerat ad certum modum redigere, atque ex immenſa diffuſaque legum copia, optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos libros conferre: ut teſtis eſt Suet. lib. 1. cap. 44.

CAPUT. XIII.

Singulari prudentia Magiſtratui, Pacis tempore, opus eſt. Magiſtratus officium eſt, ingenia ſuorum ſubditorum ad pacem componere.

HActenus à nobis actum de religione atque juſtitia duabus virtutibus in Rep. pacis potiſſimum tempore perquam neceſſarijs. Cæterùm quo quàm convenienter omnia procedant, & pax inconcuſſa maneat, illi, penes quos ſumma rerum eſt, prudentiæ adminiculo ſuffulti eſſe debent. Ut enim difficile eſt remp. gerere *ſine hac vivendi arte*, uti Cicero loquitur lib. 5. de Finib. *cum nullum*

animal moroſius ſit homine, vel majori arte tractandum; quemadmodum recte notatum eſt à Sen. lib. 1. de Clement. ſic ars hæc, quam *ſapientiam* Scriptoribus dici ante notavimus, potiſſimum pacis tempore requiritur. Vere, & parum quin ex tripode Val. Flaccus lib. 4.

Sæpe acri potior prudentia dextra.

Eoque quiſquis pacis tempore ſupremum arbitrium habet, aut ab hac virtute, aut nulla præſidium impetrabit. Vt verò quàm maximè proſit, ordinabit tum ingenia eorum quibus præeſt, tum etiam attendet ad machinationes illorum, quibuſcum pacis fœdera percuſſit. De priori hujus muneris parte hoc capite, & ſequenti. Ingenia ergo ut commodè ordinari poſſint, delectus ante omnia habendus, & videndum quæ pacis, quæ verò belli artibus, aptiora ſint. Cum judicio, ut alias ſemper, Tacitus lib. 2. Hiſt. cap. 86. *Pace peſſimus, bello non ſpernendus Antonius.* Eoque hic tranquillitatem publicam pacis tempore turbâſſet, ablegarique debuiſſet ad exercitum, atque expediunda belli negotia. Notabilis per omnia Conſtantii Imperatoris prudentia, ſub quo fidem faciente Amm. Marcellino lib. 21. raro admodum contingebat, ut militarium quis ad civilia negotia tranſiret; ac contra non niſi bellico pulvere indurati armatis præficiebantur. Quod ſi verò metus aliquis à pluribus, Martis exer-

citijs

citiis addictioribus ſuperſit, aut promotio expedita iis oſtendi debet in Sociorum bellis, aut in gratiam eorum reſp. bellum aliquod, minutum licet, gerere debet. Qui verò ad conſervandam pacem, atque procuranda illius negotia admovebuntur, eam tum nôſſe debent, tum etiam belli pericula & incommoda: horum ſi ignari fuerint, ſecundùm vulgatum dictum, bellum illis, ut inexpertis dulce videbitur, levique de cauſſa togam cum ſago mutare volent. Commendatur quidem à Plutarcho Q. Hortenſius, quod bello civili nunquam interfuiſſet; cæterùm is Senator ad tutandam pacem præ aliis nobis habilis, qui & bellum vidit, & ejus calamitates expertus eſt. Nam ſæpe homines, qui bellicas calamitates non deguſtârunt, magna ex rebus turbatis commoda ſperantes, bellum non neceſſarium concitant, cujus tamen mox eoſdem pœnitentia ſubit. Sæpe illa Thucydidis expendi ex lib. 1. de B. Peloponneſ. *Cum ſint incerti exitus belli, prius conſiderate quid agendum ſit, quam bellum inferatis. Nam poſtquam illatum eſt, diuturnitas efficit varias vices, à quibus vicibus utrique adhuc abſumus, & nondum proſpicimus exitum. Inferentes vero bella ante judicia, vi rem agunt: poſtea acceptis detrimentis, quærunt tractationes & judicia.* Quid interim ut plurimum accidit? illud quod idem Scriptor graphice monet lib. 4. B. Pelopon-

loponneſ. *Non opus eſt longa oratione apud ſcientes, commemorare quàm calamitoſa res ſit bellum. Non paucos impellit imperitia ut bellum gerant, neque reprimit eos metus, cum ſpe magni commodi animus incitatur. Sed videntur aliquibus lucra difficultatibus eſſe majora: aliqui malunt ſuſtinere pericula, quam in præſentia levem jacturam facere.* Interim haut raro contingit, uti ante patuit, populum ipſum, cui beneficii loco conceditur Pax, ejuſdem per omnia inſolentem eſſe. Hoc caſu quid faciendum ſit, controvertitur ut qui maximè inter Politicorum filios. Quidam exiſtimârunt, ſe voti compotes reddi poſſe, ſi Martios animos voluptatum illecebris frangere inſtituant. Ex re eſt audire Iuſtinum ex lib. 1. ubi ita de Cyro loquitur: *Occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellavere: quibus iterum victis, arma & equi adempti: juſſitque cauponas & ludicras artes & lenocinia exercere. Et ſic gens induſtria quondam potens & manu ſtrenua, effœminata mollitie luxuriaque virtutem priſtinam perdidit; & quos ante Cyrum invictos bella præſtiterant, in luxuriam lapſos otium ac deſidia ſuperavit.* Idem exiſtimâſſe Xerxem Darii filium colligere eſt ex Plutarchi Apophthegm. *Xerxes,* inquit, *iratus Babyloniis ob defectionem, cum eos in poteſtatem ſuam redegiſſet, interdixit armorum geſtatione, juſſitque fidibus & fiſtulis canere, lenocinium & cauponam exercere, ac tunicas geſtare ſinuoſas.*

Eaſdem

Eaſdem has artes Romanis quoque placuiſſe, innuere videtur Tacitus lib. 4. Hiſt. apud quem cap. 64. ſic Tenctrorum legatus ad Agrippinenſes loquitur: *Inſtituta, cultumque patrium reſumite, abruptis voluptatibus; quibus Romani plus adverſus ſubjectos, quàm armis valent.* Nolim tamen hoc fieri: animus enim qui ſemel à voluptate eſt ſubactus, ſemper ei ſervire cogitur, nec unquam ſemetipſo, quando alias etiam vult, uti poteſt. Quamcunque remp. occupat luxuria, eandem exedit. Rectè & graphicè Claudianus lib. 3. de laudibus Stiliconis:

——— Nam cætera regna
Luxuries vitiis, adiiſque ſuperbia vertit.
Sic male ſublimes fregit Spartanus Athenas,
Atque idem Thebis cecidit. ſic Medus ademit
Aſſyrio, Medoque tulit moderamina Perſes,
Subjecit Perſen Macedo, ceſſurus & ipſe
Romanis.

Inde, qui ſapiunt Principes, operam potius dent, ut pacis tempore ſeveris legibus luxuries circumſcribatur. De Auguſto ſic Florus lib. 4. cap. ult. *Hinc converſus ad pacem, pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens ſeculum, gravibus ſeveriſque legibus multis coërcuit.* Quænam verò multæ illæ leges ſint, videre eſt apud Tacitum lib. 3. Annal. cap. 52. & ſeqq. Miſſis ergo his conſiliis, & artibus, tum minus honeſtis, tum prægravibus

rebuſpublicis, optimè in obſequio pacis tempore ſubditi continebuntur, ſi Princeps aut Magiſtratus operam det, ne quem præſentis ſtatus pœniteat. Vir hac in parte Octavius Auguſtus fuit, qui defunctus civili bello ſexcentiſque aliis difficultatibus, operam dedit, ut omnes, quà cives quà ſocii, *novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quàm vetera & periculoſa mallent*; quemadmodum Tacitus loquitur lib. 1. Quod ut fiat, omnibus modis opera danda eſt, ut onera; quæ belli tempore cives preſſere, in pace aut prorſus ſublata, aut ſaltem magnam partem allevata ſentiantur. Si ea non remittantur, populus fremere ſolet, & bellum quod præ pace, egentibus maximè, ſæpe lucri ſpem facit, votis quam ardentibus expetere. Ergo pacis tempore refulgeat *certa ſpes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus ſalutis, quietis, tranquillitatis*; uti cum Paterculo loquar.

CAPUT XIV.

Pacis tempore Agriculturæ, & literarum ſtudiis incumbere convenit. Hoc ut commodius fiat, Scholas Magiſtratus inſtituant.

QVo verò *dulcedini otii* (verba Taciti ſunt lib. 1. Ann. cap. 2.) *cuncti* magis *pelliceantur*,

tur, ea quæ pacis tempore maximè exerceri poſſunt, præ cæteris excolantur. Ad ea potiſſimum agriculturæ & literarum ſtudium pertinet. Quod ad illam, neceſſario pacis adminiculo indiget, uno Tibullo teſte, qui lib. 1. el. ult. ſic canit:

Interea pax arva colat: pax candida primum,
Duxit araturos ſub juga curva boves.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,
Funderet ut nato teſta paterna merum.
Pace bideen vomerque vigent. at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.

Ingenuas autem artes, vel maxime, propterea pacis tempore, promovere convenit, quod animum emolliant, atque aſperitatem ejuſdem ſuavi ſuo blandimento abſtergeant. Verè Ovid. lib. 1. de Ponto El. 7.

Non cadit in mores feritas inamabilis iſtos:
Nec minus à ſtudiis diſſidet illa tuis.
Artibus ingeniis, quarum tibi maxima cura,
Pectora molleſcunt, aſperitaſque fugit.

& iterum lib. 2. de Ponto el. 9.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Teſtis eſſe poteſt unius Decius, Decii Imp. filius, de quo ſic Aurel. Victor cap. 29. de Cæſar. *Vir fuit artibus cunctis virtutibuſque inſtructus, placidus, & communis domi, in armis promptiſſimus.* Ad hoc, cum ſecundum Paterculum lib. 2. *magna negotia magnis egeant*

adjutoribus; atque pacis negotia, uti antea patuit, omnium uſum difficillima habenda ſint, literæ, aut maximum uſum pacis tempore habent, aut nunquam; apageſis enim Licinium Imperatorem, qui aliquando dixiſſe perhibetur: *Reip. peſtem literas eſſe.* Ut verò literis pretium conſtare queat, Magiſtratuum officium eſt, Scholas, tanquam bonæ mentis palæſtras fovere, viroſque doctos ad eas invitare: melius ſiquidem publica pecunia erogari non poteſt, quàm in eos. Notatu digna eſt hiſtoria, quam habet Suidas de Leone Macelle Imp. Rom. qui cum quondam Eulogio Philoſopho ſalarium dari juſſiſſet, & quidam ex Eunuchis dixiſſet pecuniam illam in ſtipendia erogandam eſſe, reſpondit: *Vtinam ætate mea contingat, ut ſtipendia militum in Doctores conferantur.* Pacem ſc. optabat Imperator ad unguem factus, eoſque qui pacis artes edocti erant ad rerum gubernacula admovere cupiebat. Idem ſenſus fuit Ludovico Galliarum Regi cognomento Divo, & Henrico Anglo, de quibus in hæc verba Paulus Æmilius gravis & diſertus hiſtoricus: *Lutetiæ florebant liberalia ſtudia: juventutis concurſus undique illuc fiebat: Scholaſtici ſuorum nonnullos à civibus pulſatos conqueſti, alii in alia cæterarum urbium muſea conceſſère. Anglus propoſita ingentium præmiorum, honorum, vacationum, emolumentorum ſpe, aliquot eorum millia Oxonium*

Oxonium elicuit. Solitudo exiliumque literis indictum Lutetiæ videbatur. Rex Ludovicus non minus decoris liberales artes, humaniora ſtudia, ſacram diſciplinam, ac tum ingeniorum Francis, quam arma afferre prædicans, egregiamque conſociationem fore, bellicarum rerum gloria cum divinarum humanarumque rerum cognitione doctri-ctrinaque conjuncta: regiæ Vrbis cives ad officium, colendoſque Doctores, diſcipuloſque revocavit: ſuus itaque rurſus ingenuis artibus honor habitus. Mirare ſodes duorum potentiſſimorum Regum in ornandis Academiis ſtudium. Vtinam Magiſtratus fœderati Belgici hoc pacis tempore eos imitari præſumant! Præiverunt Illuſtres & Potentes Ducatus Geldriæ ac Comitatus Zutphaniæ Ordines, qui firmata vixdum pace conſilium inierunt, de Illuſtri ſuo Gymnaſio ad Academiæ ſplendorem ſubvehendo: præit grande illud Cœli depoſitum, futuris ſeculis certum miraculum, ſuique ſexus immortale decus, *Chriſtina* Suecorum, Gothorum, Vandalorumque regina, tam illuſtris literarum ſcientia & amore, quàm parens *Guſtavus Adolphus*, Hyperboreus Achilles armorum & victoriarum gloria: ipſaq; non minus exoptat eſſe eruditiſſima, quam tot annorum felici bello exaſperatos ſubditorum animos, ad humanitatem, hoc eſt, genuinam pacem componere. Equidem ex ſapientiæ præſcripto, ſic Julius Cæſar

Cæſar cum meditaretur Janum Geminum claudere, M. Varroni in mandatis dedit, ut Bibliothecas, tanquam literarum neceſſariam ſupellectilē ordinaret: gnarus ſiquidem erat, aut his, aut nullis aliis præſidiis pacis tempore opus eſſe. Plura hic commemorari poſſent, in Pace Magiſtratibus obſervanda, ſed ad alia tranſeundum. Ad ſummam optandum, ſupremos pacis vindices & arbitros operam dare poſſe, ut de Pace, qua eorum ſubditi fruuntur, idem dici poſſet, quod de Pace, Germanis à Druſo conceſſa, dicit Florus lib. 4. cap. 12. *Ea*, inquit, *in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra, cælum ipſum mitius molliuſque ſolito videretur.* Fiet verò illud, quando Horatii oraculum impletum erit, quod occurrit lib. 4. Od. 5.

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almaque Fauſtitas:
Pacatum volitant per mare Navitæ:
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos, & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.

CAPUT

CAPVT XV.

Magiſtratus pacis tempore lorica prudentiæ munitus quoque eſſe debet contra ipſos hoſtes, & inſidiatores Pacis. Quomodo eorum machinationibus, in diverſis caſibus, occurrendum ſit.

SEd quum non ſufficiat pro defendenda & retinenda pace, domi omnia compoſita eſſe, ad hoſtes quoque eorumque machinationes attendendum eſt. Caveſis enim exiſtimes, omnes illos veros amicos eſſe, inter quos religioſiſſimum pacis fœdus percuſſum eſt. Prudens, & unicè huc faciens eſt monitum Polybii, quod occurrit lib. 3. *Videndum*, inquit, *in Pace facienda, ut quos animos adſerant, qui in gratiam poſitis inimicitiis redire cogitant, ne ignoretur, quando victis animis Pacis conditiones amplectantur, quando temporibus cedentes, ab his quidem tanquam temporum ſuorum inſidiatoribus caveatur, illis verò fides plenè habeatur.* Non ſemper, ne quis fallatur, Pax propter commoda, quæ ex illa ſperantur, expetitur, ſed veluti rete iis, quos bellum ſubgere non potuit, panditur. Sæpè illud Taciti ex veſtibulo Annalis primi mihi occurrit; *Pompejum imagine pacis, Lepidum ſpecie amicitiæ deceptos*; nec ſemel exhorrui, quando apud eundem ſequentia legi lib. 12. Ann. cap. 47. *Mithrida-*

thridates diem locumque fœderi accepit, ſacelloque egreditur. Ac primo Rhadamiſtus in amplexus ejus effuſus, ſimulare obſequium, ſocerum ac parentem appellare. Adjicit jusjurandum, non ferro, non veneno vim allaturum: ſimul in lucum propinquum trahit, proviſum illic ſacrificium imperatum dictitans, ut Diis teſtibus pax firmaretur. & paulo poſt: *Rhadamiſtus quaſi jusjurandi memor, non venenum in ſororem, & patruum expromit, ſed projectos in humum, & veſte multa gravique opertos necat. Filii quoque Mithridatis, quod cædibus parentum illacrymaverant, trucidati ſunt.* Quis ad hæc non obſtupeſcat! Et ne quis miretur, ne plurimum illud fit ab iis, qui priores Caduceum depromſerunt, atque ſua ſponte pacem oblatum venerunt. Præclarè Ariſthenus Græcorum Imperator ad Concilium Græcorum, apud Livium lib. 32. *Nolite,* inquit, *quia ultro Romani petunt amicitiam id quod optandum vobis, ac ſumma ope petendum erat, faſtidire. Metu enim compulſi in aliena terra, quia ſub umbra auxilii veſtri latere volunt, in ſocietatem veſtram confugiunt, ut portubus veſtris recipiantur, ut commeatibus utantur. Mare in poteſtate habent, terras quaſcunque adeunt, extemplo ditionis ſuæ faciunt: quod rogant, cogere poſſunt: quia peperciſſe volunt, committere vos cur pereatis, non patiuntur.* Quid vero hoc caſu faciendum? num rumpendum potius pacis fœdus, quàm in perpetua ſollicitudine vivendum?

vendum? Certe Vitelliani apud Tacit. lib. 4. Hiſt. cap. 49. contendunt *in pace ſuſpecta tutius bellum eſſe*; quomodo & alii apud eundem lib. 3. Ann. cap. 44. optant *miſeram pacem vel bello mutari.* Haut tamen ſuaſerim; non tam propter amorem pacis, quàm propter periculum. Sæpe accidit, ut dum quis aut injuriam propulſare vult, aut ſecuritati ſuæ conſulere, majorem calamitatem incurrat. Verè Thucyd. lib. 4. *Turpe eſt, ſi quæ Reſp. ut acceptam injuriam vindicet, ipſa in majorem, quam aliis paret, calamitatem incidat, aut ſe det præcipitem.* Eoque, contra inſidiatores ejuſmodi, primo ſuaſerim concitandos eſſe vicinos; nam & eorum intereſt pacem integram ſervari. Eadem mens Thucydidis, apud quem lib. 4. hoc invenio oraculum: *Curandum vicinis populis, ut pax inter vicinos colatur.* Etenim ſi hoc obſervâſſent Italiæ populi quo tempore Romani inducias in centum annos cum Vejentibus pacti erant, in ſtatu, tum Veji manſiſſent, tum ipſi ſecuri fuiſſent Romanorum jugi, quod poſtea ſuſcipere coacti fuerunt: uti alias latius à nobis oſtenſum fuit. Deinde in promptu ſemper arma eſſe debent, quibus pacis tum inſidiatores, tum violatores caſtigari queant. Si præmuniti fuerint illi, quibus inſidiæ ſtruuntur, haut facilè aliquis eos adoriri ſuſtinebit. Præclarè Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 11. *Quemadmodum enim*

iis,

iis, inquit, *qui adoriuntur & invadunt, curæ eſt excogitare, quibus modis omnia aut aliqua habeant ſuperiora: ita & iis, qui ſibi cavent, alia jam inventa ſunt, alia ipſi quærere, & acerrimo ſtudio inveſtigari debent: nam ab initio ne conantur quidem in eos impetum facere, qui præmuniti ac præparati ſunt.* Sequendum ergo Vegetii conſilium, quod occurrit apud eum lib. 2. de R.M. cap. 22. *Semper in otio debet fieri, quod neceſſario faciendum videtur in prælio.* Quod, ut ex maximo reip. commodo fieri queat, tria ſedulo agere velim eos, qui pacis ſemel acceptæ defenſores eſſe debent. I. Validis peditum equitumque copiis imperium, maxime ejus limites & propugnacula muniant; eadem ſarta tecta cuſtodiant, nec collabi, uti ſæpe accidit, patiantur. II. Paratum ſit ærarium Bellicum in omnem eventum, quo ſi neceſſitas ingruat, dictum factum miles novus conſcribi poſſit, eique ſtipendia ſolvi. Ita Auguſtus, ut ex Xiphilino Dionis Epitomatore conſtat, poſt clauſum Janum, certos annuos cenſus in militaria ſtipendia decreverat, nulli alii rei impendendos. III. Non tantùm milites, qui ſub ſignis detinentur, in alta quoque pace in armis exerceantur, ſed ipſi quoque cives. Fieri hoc ſolet à Romanis. Inde Seneca ep. 18. *Miles*, inquit, *in media pace decurrit ſine ullo hoſte, vallum jacit, & ſupervacuo labore laſſatur, ut neceſſario ſufficere poſſit.*

poſſit. Quem in ipſa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Quare improbandi illi, qui civibus in pace arma ademptum eunt, eoſque ad otium invitant. Haut præter rationem Portius Latro apud Senecam lib. 2. Contr. 2. *Non vides ut immota fax torpeat, & exagitata reddat ignes? Mollit viros otium, ferrum ſitu corrumpitur & rubiginem ducit: deſidia dedocet.* Et Juſtinus ſub finem libri ſexti: *Epaminondæ morte etiam Athenienſium virtus intercidit: ſiquidem amiſſo, cui æmulari conſueverant, in ſegnitiem, torporemque reſoluti, non ut olim in claſſem & exercitus, ſed in dies feſtos, apparatuſque ludorum reditus publicos effundunt; & cum actoribus nobiliſſimis, poëtiſque theatra celebrant, frequentius ſcenam quàm caſtra viſentes, verſificatores meliores, quam duces laudantes. Quibus rebus effectum eſt, ut inter otia Græcorum, ſordidum & obſcurum antea Macedonum nomen emergeret; & Philippus obſes triennio Thebis habitus, Epaminondæ & Pelopidæ virtutibus eruditus, Regnum Macedoniæ, Græciæ & Aſiæ cervicibus, velut jugum, imponeret.* Quoniam huc devenimus, obſervandum præterea hoc ingenium eſſe inſidiatorum pacis, (quos Polybius lib. 3. graphice vocat ἐφέδρυς τῶν καιρῶν quaſi dicas, *inſidiatores temporum*) etiam tum, quando in procinctu ſunt ut ſociis ſuis bellum inferant, ſpecioſum nomen prætexere, ut incautos tutius opprimere atque perdere queant. Sic C. Cæ-

ſar,

ſar, uti ipſe narrat l. 1. Comment. de B. G. Helvetios tranſitum petentes diſtulit, ad prȩſtitutam diem redire juſſos: interim omnes aditus validis præſidiis firmavit, reverſiſque aditum negavit. Similiter Sabinus apud Tacitum lib. 4. Ann. cap. 47. donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus reſponſis, dum Pomponius Labeo è Mœſia cum legione, Rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium accederet, Thraces eluſit. Ita legas quoque apud eundum Scriptorem lib. 2. Hiſt. cap. 20. *Pax & concordia ſpecioſis & irritis nominibus jactata ſunt.* Attendite vos omnes, quorum intereſt: Nec facile credite, minimè hoſti veſtro, memores nervos ſapientiæ eſſe, poſſe diffidere: aurem potius perpetuo vellat. Vegetius, cujus hoc monitum lib. 3. de R. M. cap. 3. occurrit: *Præcipue cavendum videtur, ne adverſariorum dolo atque perjuriis decipatur provincialium incauta ſimplicitas: frequentius enim conventionum, paciſque ſimulatio credulis, quàm arma nocuerunt.*

CAPVT

CAPUT XVI.

Propoſita juſtitia belli, à fœderatis Belgii Ordinibus geſti, per compendium ac tamen ſecundum hiſtoriæ veritatem, oſtenditur, quoties inter Hiſpaniarum Regem atque Ordines de Pace actum fuerit, & quomodo ea tandem, ſub ſpe perpetuitatis, coaluerit.

GEneralia quum κατ' ἐπιτομὴν explicata ſint, conſtetque quid in Pace legitima obſervari debeat; converto me ad præſentem Pacem, quæ ex ſingulari Clementiſſimi Dei gratia fœderatis Belgis poſt longum & difficile bellum (cui tamen Deus clementiſſimè benedixit) contingit anno CIↃIↃCXLVIII. pridie Kal. Febr. Quo verò hoc agere queam, præſuppono, bellum quod fœderati Belgæ pro libertate ſua defendenda ad ſeptuaginta annos cum Hiſpanis gerere coacti fuerunt, juſtum piumque fuiſſe, uti latius oſtendi in Diſſertatione de Juſtitia belli Belgici, ac proinde non eſſe audiendos, qui hactenus odioſe *Rebellium* titulo eoſdem traducere ſolent. Quanquam vero modernus Hiſpaniarum Rex *Philippus IV.* primo articulo fœderis perpetui, admodum prolixè pro ſe & poſteris ſuis omni juri renunciat, quod in fœderatas provincias prætexere poſſet; quemadmodum jam ante feciſſe videbatur anno MDCIX.

ejus

ejus parens Philippus III. in pactione induciarum; libertas tamen & ſuprema poteſtas per ſe his provinciis conveniens, ab ejuſmodi renunciatione non eſt accerſenda, uti latius in Diſputatione dicta oſtendi. Quid quod, contra valorem ejuſmodi Renunciationis, jam olim providerint Papani Doctores, ex quorum mente perſonatus Alexander Patricius, in libro qui inſcribitur *Mars Gallicus* lib. 2. cap. 12. occaſione renunciationis quam præſtiterat Philippus III. ſic loquitur: *Communis Iuriſconſultorum calculus eſt, donationes ac privilegia, quibus enormiter læditur reſp. ſucceſſorum arbitrio poſſe revocari. Poteſtas enim Principibus in ædificationem, non in deſtructionem data eſt. Quod exemplis & Hiſpaniæ, & Angliæ, & Galliæ non difficile eſſet confirmare.* Vti ergo Ordines fœderatarum provinciarum, penes quos in quaque provincia ſuprema poteſtas deſidet, jus habent per ſe, ac vi Majeſtatis, qua gaudent, ſuſcipiendi belli, ita jus quoque habent percutiendi pacis aut induciarum fœdus, cum iis contra quos bellum ſuſceperunt. Ex quo autem Belgium (initium motuum incidit in annum ſexageſimum primum ſuperioris ſeculi) commotum fuit, multoties conſultatum eſt de eodem pacando. *Primo* jam anno 1574. Philippus Marnixius Aldegondiæ Dominus, poſtquam in arce Vltrajectina diu captivus detentus fuiſſet,

eandem

eandem ſuadere cœpit; paulóque poſt Ludovicus Requezenius Gubernator Belgii, nomine Hiſpaniarum Regis eandem urſit, utendo opera Elberti Leonini, eo tempore adhuc Profeſſoris Lovanienſis, duriſque legibus primo propoſitis, eaſdem mox mitigavit, quum ſub initium anni proximi Guntherus Comes Swartzenburgicus Principis Auraici affinis Romani Imperatoris nomine Belgas cum Rege ſuo componere meditaretur dubioque procul optata quies feliciſſimæ regioni obtigiſſet, niſi plerique ex Regis conſiliariis ad aſperiora Requezeniũ compoſuiſſent, & per eum ipſum Regem, ut diſtincte refert Rheidanus lib. 1. Poſtea anno 1577. facta eſt Pacificatio Gandavenſis, quam non tantum Johannes Auſtriacus, auditis ante variorum Theologorum atque Juriſconſultorum conſiliis, ratam habuit; verum ipſe quoque Philippus II. uti fatetur inter alios Famianus Strada lib. 9. Decadis 1. Quum paulo poſt ea rupta fuiſſet, Walonicis provinciis, quarum inquilini *Malecontentorum* nomen ferebant, ab ea deſciſcentibus. De ea reſarcienda non ſolum atque in ſtatum ſuum reſtituenda, ſed in perpetuam ſecuramque pacem commutanda viſus fuit ſollicitus fuiſſe ipſe Philippus II. quum anno 1578. eum in finem in Belgium ablegâſſet Dn. de Sellis. de eadem re poſtea Coloniæ anno 1579. multum

multum diuque actum fuit, præ cæteris in hoc allaborante Rudolpho II. Imperatore: cæterum quàm ſubdole tempus ſit tractum à Duce Terræ-Novæ Hiſpaniarum Regis Legato, præ aliis diſtinctè annotavit vir de patria libertate meritiſſimus Adolphus Meetkerke in accuratiſſimo libro Belgico, cui tamen nomen ſuum non præſcripſit: fruſtra verò eſt Famianus Strada, quando Dec. 2. lib. 2. omnibus modis laborat oſtendere per Ordines ſtetiſſe, quo minus eo tempore illi à tam multis ſperata Belgio pax obtigerit. Colonienſis Pacis nundinatio cum in fumum abitura videretur, complures ex provinciarum delegatis congregati ſunt conſenſeruntque in arctionem Vnionem, anno 1579. d. 29. Ianuarii, quæ à loco ubi condita fuit, ad huc hodie *Vnio Vltrajectina* vocatur. Cœtera ut prætercam, maximo opere, hoc actum eſt anno 1591. à Rudolpho Imp. aliis quoque Regibus & Principibus in gratiam, ut prætexebant Belgarum, in partes venientibus. Verum fervor & impetus hic ſuſpicionem moverunt circumſpectis Patriæ Patribus, quorum juſſu tum temporis nummus perquàm graphicis excuſus, cujus hic erat character: Sedebat intra ſeptem vimineam *virgo Batava*, ſuaviter obdormiſcens, ſub hoc titulo: *Pax patet inſidiis.* Rupto repagulo hoſtes conſertim inſiliunt; incautamque

tamque

tamque opprimunt. Ab altera parte pariter inter ſepem recondita repræſentatur, ſed vigilans, gladio inſtructa, præſidiariiſque cincta, cum hac inſcriptione: *Tuta ſalus bello eſt*, occluſoque ſepto hoſtium machinationes avertuntur: Nummus haud abſimilis cuſus fuit anno 1595. quum Ordines Belgii provinciarum, à fœderatis diſtinctarum, excluſo quaſi Rege cum fœderatis Ordinibus tranſigere meditarentur: quæ machinatio diſplicere cœpit, ſimulac innoteſceret occulta conſilia ab Hiſpanicis miniſtris, prout diſtinctè notat Reidanus lib. XII. Reliqua, quæ circa hoc negotium arduum, maximiſque adjutoribus indigens, acciderunt ſtudio (quod hiſtoriam non ſcribam) prætereo. Tandem ergo Albertus & Iſabella Archiduces Auſtriæ, ſerio de pacando Belgio conſilium inierunt, miſſo anno 1606. menſe Majo Hagam Comitum VValravio à VVittenhorſt, Horſtii Domino, ac poſtea ſubmiſſo Johanne Ney, Generali (ut vocant) Commiſſario Ordinis Franciſcanorum. Quanquam verò multa intervenêre, quæ ſatis difficile tranſactionis negotium reddebant: ante tamen non quieverunt Archiduces, quàm Antverpiæ in duodecennales inducias (accidit hoc anno 1609. menſe Aprili) conſentiretur. Inducias haſce patriæ quam graves & noxias fuiſſe, multorum eſt opinio. Vt alios ad ſuffragium non

 vocem,

vocem, ſic diu ante conjecerat Juſtus Lipſius arcanornm reip. noſtræ apprimè gnarus. Qui ſic loquitur in Conſultatione, evulgata anno 1595. quam tanti putavit Rudolphus Botereus, ut eam in ſua Hiſtoria exhibuerit: Bellum cum Batavis hactenus infelix, nec nunc felicius, niſi in tota facie rei aliquid immutetur. Loca valida omnia habent, loca oportuna, militem exercitatum, & ſatis bonum, victoriis animoſum; ordinem aliquem in ærario, & tota gubernatione, quamdiu bellum & metus eſt, haud facile ſolvendum. Vt iſta remittantur, & mittantur, pax aliqua ſit & quies: quæ nunquam in talibus bellis initia ſine bono aperto Regis. Majeſtas illa nominis, & occultum in animis vinculum illos trahit, aut potius extrahit, qui malè abierunt: quidam gaudebunt, datum ſic regreſſum. Centeni aliquot homines aut milleni ad Regem ultrò redibunt, ſi occaſio redeundi ſuggeratur. Hæc præſidia hoſtibus detrahimus: & amplius in plebeia, aut plurium illa gubernatione, occaſiones inter ipſos diffidiis damus. Mihi crede, habent odia, factiones, & ſua vulnera: ſed occuluntur ea omnia, impendente magno illo metu, qui æqualiter tangit omnes. Remitte paululum; ad ingenia & vitia ſua redibunt: ut boves inſtante lupo coëunt, capita & cornua jungunt: abeunte quiſque ſibi paſcit. *Hactenus*

Lipſius

Lipſius. Adſtipulatur ei per omnia Forſtnerus, in curis ſecundis Politicis ad lib. 1. Ann. Taciti ſic ſcribens: *Perſto firmus in eo plus Hiſpaniæ Regem contra fœderatos Batavos duodecennalibus induciis, quàm quadraginta annorum bellis profeciſſe. Nam inde diſcordiæ, negligentiæ, incuriæ aperta feneſtra, & per eas majori vi, quàm per ruinas urbium & machinarum bellicarum violentiam labefacta eſt res Belgica. Præſagi malorum fuerunt jam olim Batavi, cum Anno* 1591. *numos cuderent, cum inſcriptione: Tuta ſalus bello. Et: Pax patet inſidiis.* Sed ſepoſitis externorum authoritatibus, an non Rex Hiſpaniarum ante inducias fractus & pœne enectus, ſub earum initium ſic ſe recollegerat, ut ſubmoto ante (Deus novit quo procurante) per ſacerrimum ſicarium Henrico IV. Galliarum Rege, ſuffecerit occupandis ducatibus, Juliacenſi, & Cliviaco; nobiſque occupatis in adjuvandis ſociis, hereditatem earum regionum adire nitentibus, vix reſpirandi tempus conceſſerit? Ad hoc Fredericus Palatinus Elector, à Bohemis rite atque ordine vocatus ad capeſſendum diadema, novum regnum, & cum eo Reformatam religionem, facile tuitus fuiſſet, nec utrumque Palatinatum amiſiſſet, ſi per arma fœderatorum Belgii Ordinum Hiſpanicæ copiæ in Belgio detineri, ac Rheni tranſitu prohiberi potuiſſent. Domi vero, quam toto

illo duodecennio omnia turbarum pleniſſima fuerunt! Annus primus nondum elapſus erat, cum Vltrajectina provincia inteſtino bello arderet, quod finiri non potuit, niſi urbe antea corona cincta. Reliquum tempus impenſum eſt litigiis Theologicis, quæ non ſolum Eccleſiam, ſed etiam ipſam rempubl. graviter turbârunt, quod eorum occaſione factiones Politicæ in indiviſo hactenus ſtatu ſe oſtentarent: atque utinam diſſidii tum excitati, hodie nullæ amplius reliquiæ ſupereſſent! Inducias, quod non inutiles experti fuiſſent Archiduces, prorogari eas optârunt, eoque Petrum Peckium Juriſconſultum ſummum atque Brabantiæ Cancellarium Hagam-Comitum ablegârunt, qui admiſſus die 23. May 1621. blandiloqua oratione Illuſtriſſimos Ordines lactare inſtituit, multis deprædicando Archiducum clementiam, & admodum exaggerando incommoda, quæ utrimque exſpectanda eſſent, ſi iterum iretur ad ſaga. Cæterùm quam ingrata fuerit ea oratio, iis, quos jam diu pœnitentia induciarum occupaverat, patet ex ſcripto reſponſo, quod die 25. ejuſdem menſis Oratori illi datum fuit. Recruduit ergo bellum, atque ab utraque parte maxima animorum contentione geri cœpit, ut videretur nullum alium in finem ad paucos annos quies conceſſa eſſe, quam ut majori impetu ad Martis exercitia

redire

redire liceret. Quanquam autem ſæpius ſupremus bellorum arbiter Deus Opt.Max.fœderatos Belgas graviter afflixit maximè anno 1625. 1629. 1634. ſic tamen piis juſtiſque eorum armis benedixit, ut jam anno 1632. poſt occupatam inter paucos dies Venloam, Ruremundam, Stralam, ac corona expugnatum Moſæ-Trajectum Ordinum Hiſpanici Belgii legati (in ſpeciem annuente Rege ipſo Hiſpaniarum, ejuſque amita Iſabella Clara Eugenia) Hagam-Comitum venerint acturi de pace aut induciis. Cæterum hic tractatus, uti eventus docuit, ſperato deſtitutus fuit ſucceſſu; bellumque maximo fervore continuatum eſt, in partes quoque veniente potentiſſimo Galliarum Rege, per arctiora fœdera, cum fœderatis provinciis multoties renovata: cum verò Hiſpaniarum Regis negotia, deficiente ab eo primo Catalaunia, ac dein integro regno Portugalliæ, cum omnibus dominiis, quæ eidem in utraque India cohærent, mirum quàm turbarentur, atque ad multos annos infeliciter cum Gallicis & fœderatorum Belgarum copiis, amiſſis compluribus urbibus munitiſſimis, congreſſus fuiſſet; tandem Monaſterii, (quæ VVeſtphaliæ urbs ad pacem univerſæ Europæ reſtituendam ſelecta fuit) ſeriò de Pace agi cœpit inter ejus legatos, atque Plenipotentiarios, eo à ſingulis fœderati Belgii provinciis ablegatos;

gatos; atque poſt prolixam collationem utrimque inſtitutam, maturamque deliberationem, nec non ſeriam nominis divini invocationem, (ordinatis ad hoc per univerſum fœderatum Belgium quaque hebdomada ſtatis Supplicationum diebus) perpetuæ pacis fœdus percuſſum eſt, ſub iis conditiobus, quibus utrimque ſubſcriptum eſt 3. Kal. Febr. annos 1648. promulgatione ejuſdem dilata in proximum menſem Iunium. Hanc perpetuam pacem, quæ ſingulari Clementiſſimi Dei munere Belgio obtigit, (atque in cujus memoriam quotannis dies, quo procurata, Deo, ejuſque invocationi Edicto perpetuo, conſecratus eſt) deinceps conſideraturi ſumus, ſimulque expendemus an ipſum illius Belgium capax ſit. Commodiſſimè verò hoc acturi videmur, ſi diſtinctè omnia, quæ contra hanc pacem tum in circulis & ſemicirculis, tum variis etiam editis libellis, vulgo objici ſolent; breviter examinaverimus.

CAPUT XVII.

Occurritur iis, qui pacem hanc inſectantur, quod diſplicuerit ſociis, & intempeſtivè fuerit condita, quum prius Antuerpia, quæ jam nutabat, capi potuerit.

VT occuramus ergo illis, qui querelas circa pacem identidem jactant, initio audias

audias ideo multum de Pacis, quam indepti ſumus delibari pretio, quod fœdus hoc diſplicuerit plurimis ex ſociis, utpote iis, quæ ipſi animo agitabant, præjudicioſum. *Reſpondemus* verò ad hoc, verbis Philippi Cominæi ex ejuſdem lib. 2. *Eſt, inquit, apud nos quotidiano ſermone tritum proverbium, quo dicitur, in ſplendidiſſimis etiam epulis exiſtere ſemper aliquos, qui minus bene tractentur. Idem uſu venit in Principum de Pace tractationibus, dum alii, quod volunt adipiſcuntur, alii ſpe & exſpectatione decidunt.* Quam difficile hic fuit omnibus ſatisfacere. nec etiam oportuit, cum quiſque rerum ſuarum præ cæteris curam gerere debuerit. Quod Tiberius apud Tacitum lib. 1. Ann. monet, obſervandum perpetuo. *In iis, quæ ad Remp. pertinent, ſuo utendum conſilio.* Quiſquis alios magis quam ſe reſpicit, ut plurimum ſe ipſum negligit, nihilque ſubſidii conſequetur ab iis, pro quibus adeò laborat. *Secundò*, multo indicio intempeſtivè, ac nimis præpropere, videtur deventum fuiſſe ad concluſionem, cum Rex Hiſpaniarum animam prope agens, magis exarmari potuerit, & ad conditiones fœderatis provinciis longè plauſibiliores adigi. *Reſp.* Abunde huic reſponſioni ſatisfacit Xenophon lib. 6. de Reb. geſt. Græcorum hunc in modum loquens: *Quod aliquando bella inter homines oriantur, rurſuſque diſſolvantur, omnes novimus. Nos verò*

Pacis deſiderio, ſi non nunc, at aliquando, tenebimur: Cur igitur potius tempus illud exſpectandum, quo vexati belloque defeſſi pacem concupiſcamus, non jam integri & nulla oppreſſi clade eam amplectemur: Neque enim illos laudandos cenſeo, qui in certaminibus ſæpius victoriam ac gloriam retulerunt: & tamen ita certare pergunt, ut non antea deſiſtant, quàm victi artem relinquant, neque aleatores, qui una jactura facta de duplo periclitantur: iſtorum enim pleroſque novimus ad extremam redigi inopiam. Quæ & nos conſiderare decet, nec unquam eo certaminis deſcendere, ut aut cuncta capienda, aut cuncta ſint nobis amittenda: ſed potius, dum & viribus vegeti, & fortuna florentes ſumus, inter nos amicitiam contrahamus: eo enim pacto & nos per vos, & vos per nos potentiores quàm ſeculis ſuperioribus imperabimus. Nam ut recte monet Lycus apud Senecam Herc. Fur.

Pacem reduci velle, victori expedit;
Victo neceſſe eſt.

Multum eſt Hiſpanicum ſupercilium eo ſe demittere potuiſſe, ut ultro Pacem obtulerit. Hoſtes ſi pacem petant, audiendi, nec exarmandi ſemper inſtar leonum Heliogabali. Nôrat Conſtantius Imperator, cum, Alemanniæ regibus Pacem offerentibus, ſic diſſereret apud Ammianum Marcellinum lib. 32, ad milites: *Arduos veſtræ gloriæ gradus, quos fama per plagarum quoque accolas extremarum diffundit,*

fundit, excellenter accreſcens; Alemannorum reges & populi formidantes, per Oratores, quos videris, ſubmiſſis cervicibus conceſſionem præteritorum poſcant & pacem: quam ut cunctator, & cautus utilium monitor, ſi veſtra voluntas adeſt, tribui debere cenſeo, multa contemplans: Primo ut Martis ambigua decernantur, dein ut auxiliatores pro adverſariis adſciſcamus, quod pollicentur: tum autem, ut incruenti mitigemus ferociæ flatus, pernicioſos ſæpe provinciis: poſtremò id reputantes, quod non ille hoſtis vincitur ſolus, qui cadit in acie, pondere armorum oppreſſus & virium, ſed multo tutius, etiam tuba tacente, ſub jugum mittitur voluntarius, qui ſentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in ſupplices animos deeſſe. In ſumma, tanquam arbitros vos, quid ſuadentis, operior, ut Princeps tranquillus temperanter adhibere modum allapſa felicitate decernens. Non enim inertiæ, ſed modeſtiæ, humanitatique, mihi credite hoc, quod recte conſultum eſt, adſignabitur. Pacem oblatam qui ſpernere inſtituerunt, graves ſæpe pœnas dederunt. Exemplum memoria dignum occurrit apud Iuſtinum lib. 24. cap. 5. *Igitur Galli*, inquit, *duce Belgio, ad tentandos Macedonum animos, legatos ad Ptolemeum mittunt, offerentes Pacem, ſi emere velit: ſed Ptolemæus inter ſuos, belli metu Pacem Gallos petere gloriatus eſt. Nec minus ferociter ſe legatis, quam inter amicos jactavit; aliter ſe Pacem daturum negando, niſi principes*

ſuos obſides dederint, & arma tradiderint, non enim fidem ſe niſi inermibus habiturum. Renunciata legatione, rsiêre Galli, undique acclamantes, brevi ſenſurum, ſibi an illi conſulentes, Pacem obtulerint. Interjectis diebus, prælium conſeritur, victique Macedones cæduntur. Ptolemæus multis vulneribus ſaucius capitur: caput ejus amputatum, & lancea fixum, tota acie ad terrorem hoſtium circumfertur. Simili vecordia, ſed pariter cum ſuo malo, Imp. Diogenes legationem Sultani, Pacis conditiones offerentem, rejecit, timorem interpretando, quæ confidentia ac lenitas erant Zonar. tom. 3. Sapienter Ariſthenus apud Livium lib. 32. Achæos ſuos hortatur, *ne Romanos amicitiam ultro petentes faſtidiant: nec enim eos id metu facere: ſed quod rogant, cogere poſſe.* Nolim hoc quidem applicatum Hiſpaniarum Regi, quo tempore Monaſterii de Pace actum fuit. Interim victos ſæpe ſurrexiſſe & pugnam Oſculanam pugnâſſe ſcio, cogitoque illud tempus quo vaſtata Velavia, & occupatum Amersfurtum terrorem omni ordini incuſſerant: aut cum captum propugnaculum Schenckianum dira minaretur iis, quibus paulo ante tota Brabantia anguſta erat. Sed amplius audias, non ſufflaminari debuiſſe victoriæ curſum, Antverpiam jam nutâſſe, reliquam Brabantiam filo pependiſſe, per unum minimum annum Marti adhuc litandum

dum fuiſſe. *Reſp.* Populari huic, imo purpurato quoque judicio abundè ſatisfacit Annibal, apud Livium lib. 30. diſſerens coram Cornelio Scipione: *Maximæ cuique fortunæ minime credendum eſt. In bonis tuis rebus, noſtris dubiis, tibi ampla ac ſpecioſa danti eſt pax: nobis petentibus magis neceſſaria quàm honeſta. Melior tutiorque eſt certa pax, quàm ſperata victoria. hæc in tua, illa in deorum manu eſt. Ne annorum fœlicitatem in unius horæ dederis diſcrimen. Cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo: utrimque ferrum, corpora humana erunt: nuſquam minus quàm in bello eventus reſpondent. Non tantum ad id, quod data Pace habere jam potes, ſi prælio vincas, gloriæ adjeceris, quantum ademeris, ſi quid adverſi eveniat. Simul parta ac ſperata decora unius horæ fortuna evertere poteſt. Omnia in Pace jungenda: tunc ea habenda fortuna erit, quam dii dederint. Inter pauca fœlicitatis virtutiſque exempla M. Attilius quondam in hac terra fuiſſet, ſi victor Pacem petentibus dediſſe patribus noſtris: ſed non ſtatuendo tandem fœlicitati modum, nec cohibendo offerentem ſe fortunam, quanto altius elatus erat, tanto fœdius corruit.*

CAPUT XVIII.

Satisfit iis, qui exiſtimârunt non deſerendum fuiſſe Galliarum Regem qui ſi deſerendus non fuiſſet, multi alii quoque nobis propiores in Chriſto, deſerendi non fuiſſent. Æſtimandus tamen potentiſſimus hic Rex.

ADhuc hodie non ſolum in triviis, ſed ex ore quoque magnorum virorum auditur, non deſerendum Galliarum Regem, a ctiori fœdere Provinciis fœderatis junctum, ſed potius arma cum eo ſocianda fuiſſe ad Hiſpaniarum Regis internecionem. *Reſp.* Vulgatæ huic objectioni abunde ſatisfacit ipſe Henricus IV. Galliarum Rex apud Reidanum lib. 5. & Botereum lib. 5. Conquerentibus enim anno 1598. Ordinum legatis, quorum caput erat Juſtinus Naſſovius, quod cum Hiſpano pacis fœdus iniiſſet, nec ſociorum curam geſſiſſet, reſpondit *inſciis amicis & fœderatis fœdus actum pactumque noluiſſe, fœderi ſi lubet interſint, illis in bello ſalutem eſſe, ſibi in armis ſummum Regni detrimentum & excidium, ex tot procellis in portum ſibi enatandum.* Enimvero quod jus quis in alterum ſtatuit, eo ipſe teneri debet: &, ut in iis, quæ ad publicam ſalutem pertinent, quiſque ſuis auſpiciis, ſepoſitis amicorum conſiliis, rem gerere debet;

bet; ſic exiſtimandum, poſt diuturnam atque maturam deliberationem, à ſupremis Belgii moderatoribus tam ſalubriter omnibus fuiſſe proviſum, ut fides, quæ ſacroſancta ſemper majoribus noſtris habita, nulla ratione delibata fuerit. Quæ ultro citróque acciderant, dum Monaſterii de Pace conſilia agitabantur, quæque editis etiam libellis judicio univerſi orbis ſubjecta fuerunt, hîc non repræſento. Quicumque adeò tenerè ſociorum ſenſu afficiuntur, exiſtimantque vi fœderis, omnibus eorum conſiliis remp. noſtram ſubſervire debuiſſe, eos etiam atque etiam rogo; in ſe deſcendant, expendantque an non propinquiores occurrant quorum diligentiorem rationem habitam fuiſſe præſtitiſſet. Nec à populo, nec ab ejus rumoribus pendeo; quotquot in Belgio vivunt pii, ſerioque ſenſu damni Ioſephi afficiuntur, eos obteſtor, mecum expendant, an non potuerit aliquid agi pro Palatinatu, & tot fidelibus, qui in ſuperiori ipſius diſtrictu, unde proſcripta jam eſt ὀρθοδοξία, ſedes fortunaſque ſuas habent. An ſic deſerenda fuerit illa Eccleſia, quæ non ſolum aſylum Majoribus noſtris exſtitit, verum etiam tot fidos, & Zelo Dei pro ejus gloria æſtuantes miniſtros, Belgio ſuppeditavit? An non intercedendum ſaltem fuiſſet pro Eccleſia Aquiſgranenſi, ac ea quæ Coloniæ Agrippinæ tot per annos fluctuat?

Quot

Quot non is iis quoque Belgii provinciis, quæ Hiſpaniarum Regi adhuc ſubſunt ingemiſcunt præ deſiderio audiendi Dei verbi, qui deſperare de eo libere vel legendo incipiunt, quod per nos nihil conſequi potuerint. Audio quidem eos, qui ſoli Politici audire volunt, reſpondentes, pari jure pro Pontificiis, in fœderatis provinciis viventibus regios legatos intercedere potuiſſe. Sed, ut libere quod ſentiam, ediſſeram, Dei benedictio majori aliquando pretio æſtimari potuiſſet, quique eo uſque cauſſam noſtram egerat, atque *indeſinenter ambulaverat in medio caſtrorum noſtrorum, eripiendo nos, & exponendo noſtros inimicos nobis*, Deut. 23. v. 14. hoc etiam expediiſſet; quique ad extrema uſque hoſtem adegerat, ſuam quoque cauſſam egiſſet in reſtituendo regno alibi collapſo per eos, quos haut aliter tot per annos ſuſtentaverat, atque aquila ſuos pullos. Enimvero, ſi rem rectâ putemus via, agnoſcere debebimus nos hactenus fuiſſe cum Jehoſchua ſacerdote, velut *titionem ereptum ex igne*: ſed in eum finem, ut cum eodem ſacerdote collapſos muros Jeruſchalaimorum reſtauremus, & amicos noſtros *vocaremus ſub vitem, & ſub ficum*, Zach. 3. v. 2. & 10. Ideo Deus vires concedit, & quoſdam, quos gratioſê provexit, potentia, velut loricâ induit, ut curam ſui populi gerant. Docet David Pſal. 29. v. 1. & 2.

& 2.ſic proclamans:*Cedite Iehovæ, filii fortium; cedite Iehovæ gloriam & laudem. Cedite Iehovæ gloriam nominis ejus, incurvate vos honorem exhibentes Iehovæ, in decoro ſanctitatis.* Nec pro arbitrio ſuo hîc agere poſſunt, qui potentes agnoſci volunt. Dei cum ſint miniſtri, imo vicarii, illud, quo ipſe delectatur quam maximè, omni ſtudio exſequi debent. At ipſo *Zelo proſequitur Ieruſchalaima & Tzionem, imo Zelo maximo*, Zachar.1.v.14. quantum ergo opprobrium, ſi ſupremæ poteſtates, quibus eum in finem poteſtas contigit, Dei populum haut magis, quàm alienum, curent? Sed dicet non nemo, Palatinatus tamen conſequi potuit, quod federatis Ordinibus pro eo petere vix tutum erat: quaſi verò plura ei adhuc non debeantur, quam impetravit. & quid ſi omnia impetrâſſet, nos tamen excuſari non poſſumus. Saltem parum aut nihil nobis debet, quodque gratia quædam Dei populo ſub illo ſole facta fuerit, *non eſt noſtra gloria*, ut in caſu fermè ſimili Debora Baroco dicebat. Jud.4. v.9. Faxit interim Deus, ne in nobis compleatur, quod Mordecai ad Eſtheram dicebat: *Si omnino ſilueris tempore iſto*, (quo ſcilicet cum authoritate loqui poteramus) *reſpiratio & liberatio conſtabit Iehudæis aliunde, tu vero & domus patris tui peribitis.* Cenſuram ſi quis mihi deſtinet, quod ſic judicem, quum Pacis negotia à viris ſummis

&

& prudentiſſimis procurata fuerint, cedam lubens, cogitando interim illud quod Elihu dicit apud Jobum cap. 32. v. 8. *Afflatus Omnipotentis efficit intelligentes.* A quo ſolo, tanquam largitore omnis boni, ut ſapientiam accerſendam exiſtimo; ita nullus dubito, quin quivis, qui ex præſcripto voluntatis illius ſapit, videat, non tam curandam eſſe offenſam quorundam hominum, querentium ſibi ſatisfactum non eſſe, quàm magni illius Dei, qui Zelotypus pro gloria ſua eſſe ſolet. Nec tamen quoſdam, qui in circulis & ſemicirculis Reip. fata expendere ſolent audiendos puto, quando cum recenti ſuo amico, Hiſpaniarum ſcil. Rege Galliarum Regem componere inſtituunt. Debet plurimum reſp. noſtra Chriſtianiſſimo Regi, tantaque ſunt ejus merita, ut ſeros quoque nepotes, in quibus modo grati animi igniculi ſupererunt, eorum nomine ſibi devotos habeat: ejuſdemque amicitia (æſtimanda ſecundum ea tempora, quibus laborabamus, & ab aliis negligebamur) vel ideo farta tecta nobis eſſe debet, quod in maximo Regno multos fratres habeamus, eundem Deum invocantes, eandemque fidem profitentes, qui ut vivant poſt Deum ex una clementiſſimi Regis gratia, contrariæ religioni addicti; ita non poſſunt non, ſibi, liberis & fortunis ſuis metuere plurimum, ſi eos à Rege ſuo alienatos videant,

quorum

quorum interceſſione contra prava conſilia, Regi aliquando fortè ſuggerenda, plurimum juvari poſſent.

CAPUT XIX.

Reſpondetur iis, qui ſucceſſum armorum, quem fœderatis Ordinibus Deus ante Pacem conceſſerat, plus æquo æſtimant, contendendo intempeſtiva Pace eundem ſufflaminandum non fuiſſe.

Amplius Martialis Genii viri ſubjiciunt Belgas longo uſu in bellis exercitatos, quibuſvis victoriis pares futuros fuiſſe ſi in ſagis paulo diutius ætatem tranſigere voluiſſent. *Reſp.* Sed aliud occinit Senec. in Herc. Fur.

Si æterna ſemper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma fœlix teneat, infelix paret,
Nihil relinquent bella; tum vaſtis ager
Squalebit arvis, ſubdita tectis face
Altus ſepultas obruet gentes cinis.

Effundendo ſanguini quiſquis continenter vacat, hominem exuit, atq; in feram tranſit. Quicunque bella gerunt, Scipionem in oculis habeant, & an ad ejus exemplum ſupremi fœderati Belgii moderatores attenderint expendant. De eo ſic Liv. lib. 30. *Cum Carthaginenſes,*

ginenſes, inquit, *peterent pacem, reſpondens Scipio, & veniſſe ea ſpe in Africam ſe*, ait, *ſpem ſuam proſpero belli eventu auctam*, *victoriam ſe, non pacem domum reportaturum eſſe: tamen cum Victoriam prope in manibus habeat*, *Pacem non abnuere*, *ut omnes gentes ſciant populum Romanum & ſuſcipere juſtè bella & finire.* Interim quod dolendum ſummopere ſæpe proſperi bellorum ſucceſſus oblivionem Dei victori inſtillant, eumque à ſupremo bellorum arbitro abducunt longiſſimè, qui quo ſæpius vincit, eo magis ancipitem belli aleam expaveſcere deberet. Non eo hoc dico, quaſi aut omnibus Belgis meis, aut Ductoribus eorum, idem contigerit: hoc certum proſperos eventus licet ex Dei unius gratiâ conceſſos, plurimos ex iis, nimium quam jam olim erexiſſe, Deumque fervidius ab iis invocatum fuiſſe, cum manum ſuam avertere videretur. Si aut noſmet ipſos, aut ſocios copiaſque militares, quibus ante percuſſum fedus gaudebamus, lance non humani judicii, ſed ea quæ in ſanctuario Jehovæ ſuſpenſa eſt, æſtimare inſtituamus; nihil omnino occurrit, quod ulterioris victoriæ, feliciſq; ſucceſſus (quidquid crepet quoque Mavortia turba) ſpem nobis facere potuerit. Quod ad nos ipſos enim, ea jam tum noſtra & univerſi pupuli peccata, ſane clamantia, notabantur non ſolum à Dei legatis, verum etiam ad cœlum uſq; adſcenderant,

derant, ut jure merito, poſt toties irritatam Dei longanimitatem, applicari regioni noſtræ potuerit, quod dicit Eſaias cap. 24. v. 19. 20. *Omnino confringet ſe terra, omnino diſrumpet ſe terra; omnino nutabit terra. Omnino commovebitur terra tanquam ebrius, & evagabitur ut tegillum, & ingraveſcente ſuper eam defectione ipſius, ita cadet ut non ſurgat amplius.* & iterum Jeremiæ vaticinium cap. 18. v. 9. & 10. *Quo momento loquar de gente & regno, me ædificaturum & plantaturum eſſe: ſi fecerit quod malum videtur in oculis meis non auſcultando voci meæ, viciſſim me pœnitebit illius boni, quo dixero me benefacturum ei.* quod ipſi in oculis Dei jam tum abominandi eſſemus, nec militares copiæ, victoria licet vitulantes, nec ſocii potentiſſimi citra Deum conſiderati, magno ſubſidio nobis, & reip. noſtræ eſſe poterant. Nam uti verum eſt, quod Apoſtolus dicit Rom. 8. v. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* ita, ſi Deum adverſarium habeamus (adverſarium verò reddunt peccata) completur illud, quod ipſe apud Eſaiam edicit cap. 30. v. 3. *Erit vobis robur Pharaonis pudori, & receptus iſte in umbram Ægypti, ignominiæ.* Externa ne accerſam, dubioſque belli caſus, & Oſculanæ pugnæ exempla proponam; hoc certum, quotieſcunque à ſociis, bellicoque apparatu nobis ſumma quæque promiſimus, ſpe fruſtrati fuimus, hoſtique ludibrium debuimus.

alia ne commemorem, animo ſolum expendamus, quæ noſtra ætate, & quidem anno 1635. accidêre. Arctiori fœdere in anteceſſum cum Galliarum rege percuſſo, copias quàm maximas & exercitatas, ſub Achille Batavo Frederico Henrico Auriaci Principe, tempeſtive ex hibernis eduximus, in quibus ordinandis ad expeditionem dum occupamur, validus ex Gallia exercitus noſtro occurſurus per Ducatū Lutzeburgenſem, uſq; in Diœceſin Leodienſem penetrat, veteranaſque legiones Hiſpanorum complures, quas ducebat Thomas Sabaudiæ Ducis frater, ad Trudenopolin cædit & fugat; quo nuncio evectæ noſtræ copiæ cum impedimentis plurimis per Demeram, occupata prius Dieſta uſque in penitiorem Brabantiam excurrunt; (omnibus per fœderatas provincias interea erectis, & magna quæque augurantibus ob turbata Hiſpaniarum Regis negotia) cumque victricibus Gallorum aquilis ſe junxiſſent, ſimulque Tienam urbem infelicem parum litatò corona expugnâſſent, Lovanium obſidere, tormentiſque concutere cœperunt, plurimis per Hollandiam, ubi ſolenne ſponſionibus Deum Iſraëlis tentare, tam certis victoriæ, ut quidam oblata meliori fortunarum ſuarum parte, in ſponſionis auctoramentum, contenderint non ſolum Brabantiam univerſam nutare, ſed eadem æſtate

Auraica

Auraica inſignia in omnibus quoque Flandriæ urbibus atque propugnaculis erigenda eſſe. At quid fit? victor hic exercitus, qui telo ſuperior videbatur, gladio famis percutitur, Cæſareaniſque copiis, Hiſpanicis commixtis manipulis, obſidionem ſolvere, multiſque deſideratis eo unde venerant, redire coactus eſt. nec intra ſolam ignominiam hujus æſtatis clades ſtetit, vix Demeram Imperator tranſierat, aut nuncius adfertur ex inſidiis intercepti propugnaculi Schenckiani, quod ut Batuæ clypeus eſt, ita à Geldræ præſidiariis occupatum eſt d.26. Julii 1635. Plura cur adducam exempla? quivis memoriam ſuam excutiat, & plura, quæ ſuperaddat, inveniat. Si Tacito credimus lib. 2. Hiſt. cap. 27. olim, Batavos majores noſtros Mars ſæpius iis ſecundus, tantos Spiritus addiderat, ut gloriari auderent, *omnium belli fortunam in ſua manu ſitam*: nos Scripturæ filios, ut in verbo ſuo aliud docuit ipſe Deus, qui ſolus eſt *bellicoſiſſimus*, Exod. 15.3. ſic oblata ab eo ipſo occaſione bello nos ſubduximus, memores dicti illius Davidici, Pſal. 146. v. 3. 4. *Ne fiduciam habetote in ingenuis, in ullo filio hominum; penes quem nulla eſt ſalus. Exit ſpiritus ejus, revertitur in terram ſuam; die eodem pereunt cogitationes ejus.*

CAPVT

Caput XX.

Iis, quæ contra Hiſpanos vulgo adferri ſolent, diſtinctè reſpondetur, ne quod antea in obſervandis fœderibus prodiderunt ingenium, nocere poſſit, monita varia adferuntur.

VT progrediamur in ſubmovendis difficultatibus; multi iique viri & prudentes, identidem dicunt, illud quod tam liberaliter conceſſimus non promeritum fuiſſe Hiſpaniarum Regem;non poſſe expiari mortem tot innocentium ſub Philippo II. ab Albano ductorum, niſi excidio totius gentis; rogos etiamnum ardentes Caſtellano ſanguine exſtinguendos fuiſſe. *Reſp.* Vt Chriſti oraculum non occinam de *diligendis inimicis*: Matth. 5. v. 44. ipſe Tacitus gentilis homo, atque à luce Euangelii alieniſſimus lib. 12. Ann. cap. 19. teſtatur *bellorum egregios fines eſſe, quoties ignoſcendo tranſigitur.* Conſentit ex parte Thucydides lib. 1. Hiſt. ſic loquens: *Virorum bonorum eſt, ſi favore divino freti rem feliciter geſſerint, bello depoſito, paceque facta in gratiam redire.* Plus quam viri hic Romani fuerunt; de quibus unum duntaxat exemplum ex Liv. lib. 45. retuliſſe ſuffecerit; *Quum* inquit lacteus dicendi fons, *Perſeus in bello, quod quadriennium continuum contra Pop. Rom. geſſerat,*

geſſerat, captus eſſet, Paullus Cos. modeſte eum excipiens, ſic allocutus eſt: Vtcumque tamen hæc ſive errore humano, ſeu caſu, ſeu neceſſitate inciderunt, bonum animum habe: multorum regum, populorum caſibus cognita Pop. Rom. clementia, non modò ſpem tibi, ſed prope certam fiduciam ſalutis præbet. At audio ex aliis, iiſque patriæ, & avitæ libertatis quàm ſtudioſis, Hiſpanis nihil tribuendum, multoties eos Punica fide fœdera violâſſe, ſi videant ſibi & ſuis rebus commodum fore, bellum moturos, excuſſa fœderis & fidei religione. *Reſp.* Quantum tribuendum ſit fidei Hiſpanicæ, & promiſſis ab iis datis, ſi aliunde non conſtaret, cognoſci poſſet ex exemplis, quæ apud Præſidem Thuanum occurrunt lib. 41. lib. 62. lib. 73. lib. 78. lib. 104. lib. 112. & lib. 113. ne jam dicam Baudartium noſtrum lib. 38. ad annum 1617. de Duce Oſſunæ, Regis Vicario in regno Neapolitano annotâſſe, quod auſus fuerit tria ſubſequentia capita defendere. 1. *Quod pacta & juramenta obligent Principes minorum gentium ad ea ſervanda; ſed Regem ſuum tanquam maximum & potentiſſimum Chriſtiani Orbis Regem minime ad talia ſervanda obligari.* 2. *Quod omnia promiſſa & pacta, à Rege facta debeant accommodari reſolutionibus ſuorum conſiliariorum, & temporum variationibus.* 3. *Miniſtros ejus non obligari ad ea, quæ Rex mandat, ſed ea, quæ Regi & Regno conducant.*

ducant. quæ, ut & ſimilia expendentes illi, quibuſcum hic nobis negotium eſt, augurantur fœdus hoc non fore *fœdus ſalis,* (ita Hebræis *ſœdus perpetuum* dicitur) Hiſpanoſque, quos juramenti lege omni tempore Papa Romanus exſolvere poteſt, ſuis commodis in præjudicium fœderis invigilaturos eſſe. Sed faciant: bellum deinceps iis futurum non cum hominibus, ſed cum Deo, qui perfidos ac perjuros impunitos nunquam dimiſit. Graphicè Silius Italicus lib. 13.

Deſpectat ab alto
Sacra fides, agitatque virum fallacia corda.
Vox occulta ſubit paſſim diffuſa per aures:
Fœdera, mortales, ne ſævo rumpite ferro;
Sed caſtam ſervate fidem, fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis. dubio qui frangere rerum,
Gaudebit pacto, ac tenues ſpes linquet amici,
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
Vnquam expers luctus, lachrymæque, aget æquore ſemper
Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieque
Deſpecta ac violata fides: adit omnia jamque
Concilia ac menſas, & abdita nube,
Accumbitque toris, epulaturque improba Erinnys,
Ipſa etiam Stygio ſpumantia pocula tabo
Porrigit, & largè pœnas, lethumque miniſtrat.

Nos, me, Belgæ, Deo noſtro tantummodo adhæreamus, eaque præſtemus, de quibus

poſtea

poſtea agendum erit diſtinctius,& omnia per illius gratiam erunt ſalva. Veriſſimum eſt Salomonis, Regum ſapientiſſimi verbum, Prov. 5. v. 23. *Improbum capient iniquitates ſuæ, & funiculis peccati ſui tenebitur*: Idem teſtatur David Pſal.9. v.17. *Notum ſe fecit Iehova indicio, quod exercuit, quum ſuo ipſius facto illaqueatus eſt improbus: rem meditandam ſummè.* Propriâ verò experientiâ hoc David didicerat. nam Pſal.7. v.15. & ſeqq. ſic loquitur: *Qui parturit vanitatem, ut concepit laborem, ita mendacium pariet. Ciſternam fodit, & excavavit eam: dejecit eò ſe, in fovea operaturus opus ſuum. Redibit labor ejus in caput ejus, & ſuper verticem ejus, injuria ejus deſcenſura eſt.* Vtinam interim idem in nobis ſenſus ſit, qui fuit in hoc Rege. Is ita de ſe ipſo: *Ponentibus improbis laqueum mihi, à mandatis tuis non aberro.* Inſtabit aliquis dicendo, interim Hiſpanus vaſtaverit longè latéque agros noſtros,& varias urbes limitaneas occupaverit. *Reſp.* Minus erit periculi, ſi urbes muniantur, exercituſque ac claſſis, quæ breviſſimo temporis ſpatio contrahi poſſit, ad manum ſit. Probavi ſemper Auguſti inſtitutum, qui qualiter pacis tempore ſecuritati publicæ proſpexerit, prudenter ſeniores diſſerunt apud Tacitum lib. 1. Ann. cap. 9. quando dicunt: *Remp. mari Oceano, aut amnibus longinquis ſeptum imperium: legiones, provincias, claſſes, cuncta inter ſe con-*

ducant. quæ, ut & ſimilia expendentes illi, quibuſcum hîc nobis negotium eſt, augurantur fœdus hoc non fore *fœdus ſalis,* (ita Hebræis *fœdus perpetuum* dicitur) Hiſpanoſque, quos juramenti lege omni tempore Papa Romanus exſolvere poteſt, ſuis commodis in præjudicium fœderis invigilaturos eſſe. Sed faciant: bellum deinceps iis futurum non cum hominibus, ſed cum Deo, qui perfidos ac perjuros impunitos nunquam dimiſit. Graphicè Silius Italicus lib. 13.

Deſpectat ab alto
Sacra fides, agitatque virum fallacia corda.
Vox occulta ſubit paſſim diffuſa per aures:
Fœdera, mortales, ne ſævo rumpite ferro;
Sed caſtam ſervate fidem, fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis. dubio qui frangere rerum,
Gaudebit pacto, ac tenues ſpes linquet amici,
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
Vnquam expers luctus, lachrymæque, aget æquore ſemper
Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieque
Deſpecta ac violata fides: adit omnia jamque
Concilia ac menſas, & abdita nube,
Accumbitque toris, epulaturque improba Erinnys,
Ipſa etiam Stygio ſpumantia pocula tabo
Porrigit, & largè pœnas, lethumque miniſtrat.

Nos, me, Belgæ, Deo noſtro tantummodo adhæreamus, eaque præſtemus, de quibus

poſtea

poſtea agendum erit diſtinctius,& omnia per illius gratiam erunt ſalva. Veriſſimum eſt Salomonis, Regum ſapientiſſimi verbum, Prov. 5. v. 23. *Improbum capient iniquitates ſuæ, & funiculis peccati ſui tenebitur:* Idem teſtatur David Pſal.9. v.17. *Notum ſe fecit Iehova indicio, quod exercuit, quum ſuo ipſius facto illaqueatus eſt improbus: rem meditandam ſummè.* Propriâ verò experientiâ hoc David didicerat. nam Pſal.7. v.15. & ſeqq. ſic loquitur: *Qui parturit vanitatem, ut concepit laborem, ita mendacium pariet. Ciſternam fodit, & excavavit eam: dejecit eò ſe, in fovea operaturus opus ſuum. Redibit labor ejus in caput ejus, & ſuper verticem ejus, injuria ejus deſcenſura eſt.* Vtinam interim idem in nobis ſenſus ſit, qui fuit in hoc Rege. Is ita de ſe ipſo: *Ponentibus improbis laqueum mihi, à mandatis tuis non aberro.* Inſtabit aliquis dicendo, interim Hiſpanus vaſtaverit longè latéque agros noſtros,& varias urbes limitaneas occupaverit. *Reſp.* Minus erit periculi, ſi urbes muniantur, exercituſque ac claſſis, quæ breviſſimo temporis ſpatio contrahi poſſit,ad manum ſit. Probavi ſemper Auguſti inſtitutum, qui qualiter pacis tempore ſecuritati publicæ proſpexerit, prudenter ſeniores diſſerunt apud Tacitum lib. 1. Ann. cap. 9. quando dicunt: *Remp. mari Oceano, aut amnibus longinquis ſeptum imperium: legiones, provincias, claſſes, cuncta inter ſe connexa.*

nexa. Sed hæc pluribus capite proximo. At dubium ſemper erit, quando ad ſaga poſitis togis redeundum ſit; ſi priores occurramus vi, quæ paratur, fœderis violatores cenſebimur, omnemque invidiam coram univerſo orbe ſuſtinebimus: ſin exſpectemus, oppreſſi forte erimus, antequam ſcutum oppoſuerimus. *Reſp.* Molitio hoſtilis, ut abunde animum illius prodit, à quo longe alia exſpectantur; ita poſtquam de illa conſtat, jure ſummo etiam ei occurrere licet. Vt vero unuſquiſque rebus ſuis quàm maximè invigilare debet, ita operam det, præoccupet potius hoſtem, quam ab eodem præoccupetur: ad hoc cogitet tale ingenium inſidiatorum pacis eſt, ut ea, quæ ipſi facere erubeſcunt, per alios, quos ſubornare ſolent, expediant. Ergo inculco iterum illud Vegetii Scriptoris militaris lib. 3. cap. 3. *Precipue cavendum videtur ne adverſariorum dolo, atque perjuriis provincialium* (Belgarum) *incauta decipiatur ſimplicitas: frequentius enim conventionum, pacisque ſimulatio credulis, quam arma nocuerunt.* Perpetua ergo diffidentia contra novos hos amicos munienda eſt reſp. Cum ratione Polyænus lib. 7. Stratag. *Nihil in hoſtibus,* (addo inexſpectatis atque incertis amicis) *tam cavendum, quàm doli, perfidia, & deceptio. Itaque nihil eſt, quo facilius aut melius ſe tueri ac defendere ab iis duces & milites poſsint,*

(imo

(imo quicunque alii) *quam diffidentia & incredulitate.* Eo verò maxime diffidendum, quò magis blandiuntur illi, qui paucos ante annos non niſi odioſo rebellium nomine nos notabant. Veriſſimum Italorum proverbium:

Chi te fa più carezza che non ſole,
T'ha ingannato ò t'ingannar vole.

Perget aliquis, ac dicet; Pax hæc, ac muſtea amicitia, omnibus modis futura eſt miſera? *Reſp.* Fatendum hoc nomine eam miſeram eſſe: verum longè miſerior cenſeri debet nimia ſecuritas. Is ipſe metus cum bono Deo (ita auguror) ſervabit Remp. De Romanis vere Paterculus ſub initium libri ſecundi: *Remoto Carthaginis metu, ſublataque imperii æmula, non gradu, ſed præcipiti curſu à virtute deſtitum, ad vitia tranſcurſum: vetus diſciplina deſerta, nova inducta, in ſomnum à vigiliis ab armis ad voluptates, à negotiis in otium converſa civitas.* Superſit ergo ſemper Hiſpanorum *imminentium metus, diſciplinamque veterem contineat,* uti alicubi Florus de Pœnis loquitur. Certè quandiu is ſupererit, quorumcunque aliorum hoſtium, ſecuri eſſe poterimus: accidit enim quod graphicè Seneca monet Epiſt. 91. *Bellum in media pace conſurgit, & auxilia ſecuritatis in metum tranſeunt: Ex amico inimicus, hoſtis ex ſocio.* Quidquid aliis in adverſum videatur, ſpero recentes amicos (quo-

-tum aliàs ingenium omnibus modis ſuſpecto) memores fore admonitionis ſui Campanellæ, qui ita loquitur in Diſcurſu de Monarch. Hiſpan. cap. 23. *Omne feret punctum, qui primum pacta & conventiones cum Belgis initas ſervat, quod Hiſpani in propriam ſuam necem facere neglexerunt: nam nihil tam animos naturalium & acquiſitorum ſubditorum offendit atque abalienat, quàm cum vident Capitulationes, ut vocant, ſemel ſecum initas à dominis alterari & mutari. Hoc cum obſervaret Dux ille Albanus, homo avarus & injuſtus rebuſque ſuis ſolum invigilans, totum Belgium turbavit, & in Regem ſuum rebellare fecit.* Cœterùm hæc ſpes & conjectura, utinam non ſubſit falſum!

CAPUT XXI.

Succurritur iis, qui majorem exercitus partem exauctoratam eſſe dolent. Non niſi armis pacem defendere poſſumus, cum quibus pecunia ſocianda.

QVi præcedens caput diligenter expenderit, intus forte apud ſe ingemiſcet, quod flos exercitus jam dimiſſus ſit, multi veterani duces exauthorati, horrida belli tempeſtas, ſi iterum ingruat, laborandum ſit de conſcribendo exercitu. *Reſp.* Quid factum jam fuerit poſt maturam deliberationem, ſub

ſub examen vocare non eſt noſtrum; conſtat quidem Romanos habuiſſe *Evocatos*, de quibus præ aliis diſtinctè agit Dion Caſſius lib. 48. cæterum exercitus ſemper conſcribi poterit, ſi domi omni tempore quam inſtructum ærarium fuerit. Vere Thucyd. lib. 2. *Pleraſque res belli confici conſilio & vi pecuniarum* pronunciat. Inde non dubitavit Mucianus apud Tacit. lib. 2. Hiſt. cap. 84. pecuniam *belli nervos* vocare, quod habet quoque Cic. Phil. 5. Notatu dignum eſt quod refert Plutarch. in Apophthegm. *Titus Quintius*, inquit, *Philomæ Achæorum prætori, multis equitibus ac gravis armaturæ militibus inſtructo, pecuniæ autem inopi, illudens; Manus, ajebat, eum habere & crura, ſed ventre carere.* Nec tamen hic nervus ſufficiet, niſi in promptu fuerint viri non minus nervorum robore valentes, quàm arma tractare docti. Subita belli tum externi, tum domeſtici ſubitaneũ requirunt remedium. Domi quot ſint hoſtes præſentis ſtatus, poſtea liquebit. Recolantur modo acta anni 1618. & ſubſequentis, nec invenietur quis qui patriæ ſalutis ſtudioſus, qui non pariter neceſſarias eſſe exiſtimet excubias militis, ſufficientis frequentiæ inſidiantium. Quantum ab externis immineat periculum, is demum novit, qui exploratum habet, quouſque ſe extendant liga Catholica, atque cæcus Pontificiorum Zelus pro propagando

nomine Pſeudo-Catholiciſmi. nolo jam notari aut Regem, qui Catholicus audit, aut eos,quorum fidem ut ſubleſtam à multis,iiſque viris piis atque prudentibus, ſuſpectari dixi; hoc certum apud omnes illos,qui rimas rei communis precibus ſuſpiriiſque ſuis noctes atque dies fulcire laborant,motum ſubitaneum excitari poſſe, antequam animadvertant illi, qui Pacem hanc æternam æſtimant,non ex hujus quidem ſeculi,ſed Saturnii, ſive aurei ratione. Quibus obſidibus cavit hactenus Romanus Imperator,(imo quibus cavere poteſt pro ſe & ſucceſſoribus) quod nunquam hoſtile aliquid adverſus provincias fœderati Belgii moliri velit? Prætextus ſine numero occurrunt, qui movendo bello ſufficiant. Weſtphalia latè patens, viriſque,iiſque militibus abundans, exercitum Tranſiſalaniam,Ommelandiam, & Zutphaniam ante obruerit, quàm advenire nuncietur; agerque Embdanus Friſiæ proximus, ad hoc Imperio annexus equitum peditumque nubes, in proximos agros effundendas prius exceperit, quàm Hagæ conſtiterit, quænam opponendæ ſint copiæ. An Hiſpaniarum Rex, qui hactenus in Belgio validum alit exercitum,ad propulſandos quaſi Gallos,fidem quidem dabit, quod pace cum Franciæ Rege inita, omnes militares copias, quas hactenus magnis impenſis in Belgio alit, dimittere velit?

lit? Quis in animum inducat eum exauctoraturum Hiſpanicas,& Italicas legiones: nec tamen iis indiget contra Belgas, à quibus adhuc agnoſcitur. Eorum fides,rebus anguſtis toties ab eo explorata ſecurum eum eſſe jubet rebellionis. An non cogitamus in propinquo nobis eſſe Electorem Colonienſem, qui non ſolũ meliorem VVeſtphaliæ partem ſibi ſubjectam habet, verùm etiam jugo ſuo non ita pridem Leodienſes,viros fortiſſimos, & in armis exercitatiſſimos ſubierit. Multiplicem is bellandi occaſionem, quocumque tempore libuerit, invenire poteſt, ſuffultuſque viribus Electoris Bavariæ (cui propius junctus eſt) ne alia occultiora ſubſidia jam tanquam, ab omnibus partibus nos aggredi, periculoſiſque inſultibus appetere poteſt. De Lotharingiæ Duce,milite veterano & numeroſo gaudente, atque ubique minas ſpirante, nihil adhuc dixi. Nuper ingreſſus fines noſtros longe latéq; terrorem ſui ſparſit, viſuſque eſt ad admonitionem Bruxellenſem receptui canere;ſed, quid egiſſet,ſi in procinctu noſtras copias non vidiſſet, conjiciant, qui ex gente Oedipi. Omnium vero horum ſecuri erimus, ſi perpetuo ad manum fuerint illæ copiæ, quæ nuper adverſus tumultum ſuffecerunt. longo illæ armorum uſu exercitatæ, per Dei gratiam ad ſubita belli ſufficient. Dubito verò an ratio æquitatis patiatur, ut

veterani, qui hactenus ſterilem ſectati militiam utiliſſimam rei communi operam exhibuerunt, exauctorentur; Pauperieique ſano, ut fami victimæ cadant, adſcribantur. Enimverò peregrinos cingulo ſi privaverimus, poſthac, ubi exiget neceſſitas, aut difficiliores, aut minus fides experiemur. Si quis dicat alios Principes & Reſp. ſtipendia modo promitterent, paratos mox inveniſſe copias? Reſpondebo prædæ promiſſæ ſpem facere, quæ à nobis defenſivo bello vacaturis, offerri non poterit. Dein plures habuere ſocios, quam nôs hoc tempore, uti cap. XXIV. fuſius oſtendetur. Alicui in mentem veniet, nos jam antea dixiſſe, & poſtea repetere Deum eſſe bellatorem, eumque ſupremum rerumpublicarum, & omnium, quæ in illis accidunt, moderatorem agnoſcendum. Sed an ideo negligenda media? Quem populum ſtudioſius Deus curavit, quàm Iſraëliticum? aut in qua gente ſervanda unquam ſe magis admirandum exhibuit? At eo tempore, quo educendo tot millia ex Ægypto trophæum ſuæ omnipotentiæ ſtatuebat, ipſam tamen illam gentem, quæ agnitura erat propius ejus potentiam, commonefacere voluit de neceſſitate mediorum. Nam legimus Exodi XII. quod cum Iſraëlitas educeret ex Ægypto uſque in terram Canaan, eos non voluerit recta via, ſive per Philiſtæorum regionem ducere,

cere, ob cauſſam, quam tangit Moſes v. 17. ſic loquens: *Dicebat enim Deus, videndum ne pœniteat hunc populum, quum viderint bellum, & revertantur in Ægyptum.* An non potuiſſet Deus æquè incircumciſos Philiſtinos profligare, atque in populi ſui gratiam Pharaonem cum omnibus ſuis copiis perdidit? quis dubitet? noluit tamen, ne populus ſuus à mediis, quibus aliàs locus ſuus concedi debet, prorſus alienaretur. Vtinam nos cogitemus! Imo utinam chartæ & ſigillo, aureæ licet pyxidi incluſo, nimium non credamus! Quotuſquiſque hoc ſeculo Catilinæ non ſimilis, de quo Salluſtius: *Amicitias inimicitiaſque non ex re, ſed ex commodo æſtimare, magiſque vultum, quam ingenium bonum habere.* Imo, quot non occurrunt, quibus applicari poſſit illud Xenophontis ex lib. 1. de Exped. Cyri: *Nonnulli dicunt te periculo imminente multa polliceri: ſed ſi proſpera fortuna utare, nullius rei memorem fore.* Quàm vellem Deus Opt. Max, nunquam circa nos patiatur locum habere illud, quod de Longobardis notat Paulus VVarnefridus lib. 1. de Geſtis Longobard. cap. 16. *Cum nihil adverſi ſuſpicarentur & eſſent quieti, longanimis ſecuritas, quæ ſemper detrimentorum mater eſt, eis non modicam perniciem peperit.* Sed de his ſatis! Tu excelſe Deus, *qui das ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus,* Dan. 2. v. 21. ne *ſinas conſilium ſapientum conſiliariorum obbruteſcere,*

teſcere, Eſ. 19. v. 11. Hoc ſi non fiat, ſecuri eſſe poterunt, qui deinceps dicunt Hiſpaniarum Regem, ſi à bello per paucos modo annos reſpirare poſſit, theſauros maximos collecturum, acriuſque quàm unquam antea bellum moturum eſſe. *Reſp*. Non diffitendum forte Hiſpaniarum Regem, ejusve ſucceſſores, ubi ingentem vim auri atque argenti (quod commodiſſimè, & ſine ullis prope impenſis, quotannis ex Indiis deinceps accipere poterunt) collegerint, bello repetituros eſſe ea, quæ inter paucos annos amiſerunt. Sed is caſus ſi obtigerit, ad Deum, qui ſemper providere debet, ante omnia confugiendum erit, & deinde ad media legitima, quæ ſemper in mundo eſſe ex re eſt. Interim digna eſt oratio, quæ penitius expendatur, quam habuit univerſæ Græciæ legatus ad Ætolos apud Polybium lib. 9. *Nam quod in igni*, inquit, *fieri amat, ut poſtquam ſemel aliquis aptam ei concipiendo materiam accenderit, de cætero non amplius in ejus arbitrio rei eventus ſit poſitus; ſed quo tulerit caſus fortuitus latè graſſetur incendium, prout ventorum, qui in tali re plurimum valent, flatus impulerint, & ſubjectæ materiæ conflagratio induxerit; ſæpe ut præter omnium opinionem ipſum authorem incendii primum flamma invadat: ſic etiam bellum, ubi ſemel à quibuſdam eſt accenſum, ipſos quidem, qui excitârunt, ante omnes alios perdit: interdum verò; per quicquid eſt obvium,*

vium, immerito devaſtans omnia, late fertur, velut novas ſubinde vires acquirens, & ſtultitia proximorum populorum non ſecus ac flatu ventorum excitatum. Vtinam diligenter ab omnibus hæc expenderentur! compoſita tam facile non turbarentur.

CAPUT XXII.

Quum non ſine ratione multi viri graves, & pro patriæ ſalute ſolliciti commune ingenium Pontificiorum expendant, obviam illis itur & reſpondetur. Iterum commendatur diffidentia.

PRæter jam ſubmotos ſcrupulos adhuc alii ſe offerunt: multi, iique viri ſerii, expendunt non ſolum ingenium Hiſpanorum, ſed omnium in communi Papanorum, qui poſſunt in negotiis fœderis diſpenſationem à Papa impetrare ad hoc, ut queant à fœdere recedere. *Reſp.* Notus eſt Canon Gregorii IX. qui occurrit Extra. cap. ult. de hæreticis can. *Abſolutos*, in quo hæc diſtinctè leguntur: *Abſolutos ſe noverint à debito fidelitatis, Dominii, & totius obſequii, quicunque lapſis manifeſtè in hæreſin aliquo pacto, quacunque firmitate vallata tenebantur adſtricti.* Interpretem Canonis illius agendo Alphonſus à Caſtro lib. 2. de juſta hæret. punit. cap. 7. ſic loquitur: *Per hoc quod dicit à debito fideli-*

tatis, oſtendit apertè illum, qui cuſtodit depoſitum ab hæretico ſibi ad cuſtodiam commiſſum, non debere reddere hæretico depoſitum ſuum petenti. Nam etſi lege naturæ teneantur omnes in reddendo depoſitum fidelitatem ſervare, ab hac tamen obligatione fidelitatis liberatus eſt, quiſquis ab hæretico depoſitum accepit, ut jam poſt illius manifeſtam hæreſin non teneatur illud hæretico reddere. Hinc Cardinalis Hoſius ep. cap. 202. & 210. ſcribit Poloniæ Regi: *Quod licet obligatus ſit Poloniæ Ordinibus æque ſe defenſurum Catholicos & hæreticos, miſſa tamen ratione teneretur ad præſtandum quod promiſerat.* Similiter Conradus lib. 3. de Hæret. *Multis probare conatur, pacificationes cum diverſæ religionis hominibus initas, eſſe irritas; quia cum hujuſmodi hæreticis Catholico nulla pax eſſe poſſit, ut illi offendi ac conteri non poſſint.* Similiter Simanca Epiſcopus Pacenſis Cathol. Inſt. cap. 46. num. 52. expreſsè ſic loquitur: *Nullo, nullo, nullo modo fides hæreticis ſervanda eſt, etiamſi juramento firmata ſit. Sæpe id monitum, tamen neceſſe eſt inceſſabiliter iterare, & tamdiu non tacere, quandiu pacis iſtius nomen obtenditur.* Incruſtare hæc quidem laborant Jeſuitæ, imo quidam eorum huc impudentiæ deveniunt, ut auſint negare, *hanc eſſe Doctorum ſuorum ſententiam.* Interim invitis & profunde diſſimulantibus ſimilia ſæpe excidunt. Certè Ieſuita Martinus Becanus in libro, cui Titulus eſt: *Fœderatorum inferioris*

Germaniæ

Germaniæ defenſio I I I. *contra calumniam Pacis perturbatæ*. cap. 7. §. 2. ita loquitur: *Contractus Catholicorum cum hæreticis poſſunt eſſe duplices, alii de Religione, alii de civilibus. Si ergo Catholici Reges, vel Principes faciunt aliquem contractum cum hæreticis in negotio fidei, vel id faciunt inſcio Pontifice, aut conſcio: ſi inſcio ubi primum intellexerit, poteſt vel confirmare contractum ſi bonus eſt, vel abrogare ſi malus. Hoc enim cuique Principi licitum eſt apud ſuos ſubditos in iis rebus, quæ à Principe dependent. Si conſcio, non poteſt poſtea reſcindere pro ſuo arbitratu, niſi nova aliqua circumſtantia interveniat, juxta quæ dicta ſunt.* Non ſine ratione ergo quis ſuſpectet Pacem initam cum talibus, quibus dogmata jam dicta non ſolum placent, ſed etiam vivendi regulæ ſunt. Cæterum uti antea ſuaſi diffidentiam, ita eandem hic iterum inculco. Appoſitè Sirachius, author licet Apocryphus, cap. 12. v. 8. & ſeqq. *Ne credas inimico tuo in ſeculum. Nam ſicut æs affert æruginem, ſic etiam pravitas illius. Etiam ſi abjiciat ſe & inflexus ambulet, inſiſte animæ tuæ, & cuſtodi ab illo ipſam: ſic eris erga ipſum, tanquam qui abſtergit ſpeculum, & cognoſces non intuliſſe æruginem ad extremum uſque. Ne ſtatuas eum apud te ipſum, ne quando quum ſubverterit, conſiſtat in loco tuo, ne colloces eum ad dexteram tuam, ne quando ſedem tuam quærat occupare.* Sufficere aurea hæc ſententia poſſet, lubet tamen quædam addere,

addere, ut liqueat quam verum vetus hoc verbum ſit: *Qui timet inſidias omnes, in nullas incidit.* Monet quidem Silius Italicus lib. 13.

————O Reges, ne rumpite fœdera pacis,
Nec regnis poſtferte fidem.

Interim, quod monet Seneca ep. 42. ut plurimum accidit: *Multorum, quia imbecilla ſunt, latent vitia, non minus auſuri, cum illis vires ſuæ placuerint.* atque inde ſecundum Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 3. *aliqui ſuſpectum habent regum nomen ut fraudulentum in pactionibus.* Et cur non? *In animis hominum multæ ſunt latebræ, multi receſſus,* Cic. pro Mil. quod cogitandum maximè, ſi res ſit inimico, cum quo nemo tuto in gratiam rediit. Cum Agricola apud Tacitum, is qui fallere ſolet, aliquando quidem *optimum ſtatuit reponere odium:* perpetuo tamen adeſt *deſtinatio vindictæ, ſi facultas oriatur,* Tacit. lib. 5. Annal. Scio ægro eſſe hoc perſuadere meis Belgis. nam ut Cic. ad Q. Fratr. *Vt quiſque eſt vir optimus, ita difficillime eſſe alios improbos ſuſpicatur:* maxime ſi is, qui ſuſpectandus ſit, viris natura candidis fidem aliquoties ſervaverit. Quid tamen monet Livius l. 28. *Fraus,* inquit, *in parvis ſibi fidem præſtruit, ut cum operæ pretium ſit, cum magna mercede fallat.* Credite, credite viri candidi, & omnia tuta timete. *Nemo celerius opprimitur quàm qui nihil timet*, ſecundum Paterc. lib. 2. Quod præter diffidentia, toties jam antea inculca-

tam

tam ſuadeam, occurrit nihil. Vere Demoſthenes: κοινὸν φυλακτήριον τῶν σώφρονούντων ἀπιςία: *Diffidentia prudentum hominum communis theſaurus.* Nôrunt belluæ, ita quippe Horatius lib. 1. ep. 1.

Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque,
Suſpectos laqueos, & opertum milvius hamum.

An ergo nos futuri inferiores mutis pecudibus quibus nulla intelligentia? Abſit! abſit! nec tu patiare ô Deus!

CAPUT XXIII.

Quamvis Majores noſtri ſuſpectârint & notârint Hiſpanorum ingenium, tamen præter placita eorum rectè cum iis fœdus Pacis percuſſum.

IIs quæ dicta & monita jam ſunt nonnemo forte calculum adjiciet; ſed tamen adjiciet aliam mentē fuiſſe majoribus noſtris, qui nō dubitârunt in propatulo profiteri Hiſpanorum fidei ſe nihil tribuere poſſe. *Reſp.* Certe Ordines fœderati non dubitârunt aliquoties in propatulo notare fluxam Hiſpanorum fidem, nominatim in reſponſo, quod anno 1577. dederunt ad Propoſitionem Illuſtris Othonis Henrici Comitis in Swartzenburg legati à Sacra Cæſarea Majeſtate ad ſe miſſi. In ea libere non ſolum artes Hiſpanorum in genere, verum ſpeciatim Johannis Auſtriaci notant.

notant. factum hoc quoque à Thuano lib. 62. ad annum 1576. ubi expreſsè refert Iohannem Auſtriacum, cum ſimularet pacis conditiones cum Ordinibus, ex eo fraudis convictum fuiſſe, quod inter chartas *Hieronymi Rhodæ* ſcheda reperta eſſet, quâ monebatur ut blando ſermone popularium animos initio demulceret, eorumque ope Hollandiam & Zelandiam in poteſtatem redigeret, ac dein in rebelles pro merito animadverteret, interim cautè ſe gereret, & exquiſita ſimulatione propoſitum tegeret. Eandem perfidiam iterum notârunt anno 1591. in Reſponſione ad Rudolphum Imp. imo objecerunt Ottoni Hartio, & Hieronymo Comans, legatis Archiducis Erneſti anno 1594. Hagam-Comitum miſſis, ad expediunda Pacis negotia: inde d. 27. Maij ejuſdem anni, in literis ad ipſum Erneſtum datis, expreſsè teſtantur, *ſe in Pacis negotiis lente feſtinare debere, quod magno cum damno Reip. ſæpius nimis facile Hiſpanicum conſilium audierint.* Nec alia adhuc mens fuit Illuſtribus Patriæ Patribus anno 1644. die 3. Martii, cum in reſponſo dato Legatis Galliarum Regis (qui pro Pontificiis in fœderato Belgio viventibus interceſſerant) Regem Hiſpaniarum vocarent *hæreditarium ſuum hoſtem*; ſive, ut habent verba Belgica *Erff-vyandt deſer Landen.* At quid interim dicemus? ſicut tempora mutantur, ita pro

corum

eorum ratione conſilia mutari quoque debent. Rectè Seneca Ep. 3. *Vtrumque vitium eſt, & omnibus credere & nulli.* Legi quidem apud Cæſarem lib. 4. de B.G. *Neque legati audiendi, neque conditiones accipiendæ ſunt ab iis, qui per dolum atque inſidias, petita Pace, ultro bellum inferunt.* Interim cum Macedonibus, quorum *perjurium* notat Corn. Nepos in Eumene, itemq; Pœnis, quorum ſubleſta fides in proverbium abiit, multi fœdus percuſſerunt. Illi, quorum fides ſuſpectatur, ſedulò ea Livii, quæ occurrunt lib. 30. expendant; cum enim decretum eſſet Scipioni Pœnis pacem concedere, hæc Hiſtoricus immiſcet: *Poſtero die revocatis legatis, & cum multa caſtigatione perfidiæ monitis, ut tot cladibus edocti, tandem Deos & jusjurandum eſſe crederent, &c.*

CAPUT XXIV.

Reſpondetur illis, qui exiſtimant miſeram Remp. noſtram fore, quod offenderit omnes fermè illos, quos ſocios habere ſolet.

PRæter illos, quorum infirmitati jam antea occurrimus inſurgunt alii, quibus diſplicet, Pacem initam cum Hiſpaniarum Rege eſſe; addunt nullos notari ſocios, qui eum deficientem circa promiſſa, in Reip. noſtræ gratiam caſtigare velint: Gallos offenſos eſſe, in partes venire Suecos, Britanniæ regnum fluctuare

ctuare, ac qualemcunque faciem, forte reſti-
tuendam cum bono Deo ſuo tempore, ei læ-
tam non occurſuram eſſe; Danos & Vene-
tos, alii quid dubio procul animo etiam co-
quentes, inferiores exiſtere, quàm ut ingru-
enti ejuſmodi malo medicas manus admo-
vere queant. *Reſp.* Hæc ſunt gravamina vi-
rorum aliàs bonorum patriæque mirum
quàm ſtudioſorum: ſed, an proinde abji-
ciendus animus? Hautquaquam: dicere poſ-
ſem cum Politicorum filiis communes caſus
procuraturos eſſe communes amicos; atque
ipſos inimicos, ſi una navigent, ſolere odia
tam diu deponere, quam communi periculo
defuncti fuerunt. Quod Lipſius in Præfa-
tione Senecæ, quondam ad Pontificem Ro-
manum de Belgio ſcripſit, adhuc hodie ve-
rum: *Eſt exiguus quidem, ſed potens, & magni
in omnes partes momenti hic angulus terrarum: Et
ut hic facies rerum ſit, talem & in pleraque finiti-
ma Europa fore.* At nolo hæc ulterius urgere,
relictis his partibus iis, qui humana conſilia
prætio plus æquo magno cenſere ſolent. Vt
reſp. noſtra pacem, è cœlo quaſi oſtenſam,
amplexa eſt; ita eandem tanquam Dei mu-
nus cenſere debet, expendendo in rebus ad-
verſis illud ex Pſal. 77. v. 6. *Reputato tempora
inde ab antiquitate, annos ſuperiorum ſeculorum.*
Enimvero, qui Deus eo tempore non deſe-
ruit patriam, quum projecta eſſet, atque à
nullo

nullo è vicinis reſpiceretur, eandem aſſeret ringentibus ſociis omnibus; ſi modo ei conſtanter adhæſerit, ejuſque voluntati ſatisfacere laboraverit. *Quicquid humana ope majus eſt, Diis permitte curandum*: Gentilis atque profanus homo Symmachus dicere ſcivit, lib. 2. ep. 7. At mirum quam Belgarum fides vacillet, ibique fluctuent, ubi maximè conſtantes & inconcuſſi conſiſtere deberent. Media perpetuo reſpicimus, & ſi illa voto noſtro non reſpondeant, Deum noſtrum inferiorem eſſe putamus, quam ut nobis ſuccurrere queat. Abſit! ut in poſterum ſic inſaniamus! Ad miraculum uſque hoc tempore firmata eſt noſtra Reſp. quæ ex parvis progreſſa initiis, ſimiliſque vermiculo abjectiſſimo, ad modum inconcuſſæ rupis potentiſſimum regem non ſolum fregit, verum etiam id ſexcentis expedita fuit inſidiis, quæ toties eidem ſtructæ fuerunt. At cui verò tantum incrementum acceptum referre fas eſt? Cui, niſi uni Deo! *Sola dextra Iehovæ in patria noſtra elata, dextra Iehovæ egit ſtrenuè,* Pſal. 118. v. 16. Fallimur graviſſime, imo vincula Reip. noſtræ luxamus, ſi cum Chaldæis apud Habacuk Prophetam cap. 1. v. 15. *Sacrificamus noſtris plagis, & ſuffitum facimus noſtro retijaculo, quod tam pinguis ſit portio noſtra, & cibus opimus.* Verum quidem præclara nobis obtigerunt inſtrumenta, Deuſque præter omnem opinionem

opinionem contra hæreditarios noſtros eos ipſos concitavit, qui religione alias à nobis diſſident. Interim perpetuo cum Davide ad huc ex Pſalmo XLIV. dicere debemus: *Tu, ô Iehova, manu tua gentes expuliſti, & plantâſti nos: tu malo affeciſti nationes, & propagaſti nos. Non enim gladio noſtro hæreditario jure poßidemus terram, nec brachium noſtrum dedit ſalutem nobis: ſed dextera tua, brachiumque tuum, & lux faciei tua, quia eras benevolus nobis.* Illi Jehovæ ſit laus, *quia magnifica fecit erga nos*, Pſal. 126. v. 3. Vtinam ſerio ſolum ad eum nos converteremus, atque in mandatis illius ambularemus per omnem vitam noſtram, ſecure equidem ſub vite, ac ficu noſtra agitaremus deinceps.

CAPUT XXV.

Reſpondetur iis, qui metuunt ne mercatura dilabatur, mercatoreſque agminatim Antverpiam migrent.

MUltorum quoque querela eſt, eaque ferè publica, mercaturam, qua hactenus Reſp. hæc, veluti fulcro inconcuſſo, nixa eſt, hoc Pacis tempore paulatim deficere. *Reſp.* Revera hoc qualecunque incommodum videtur notari poſſe, non tam mercatoribus alio demigrantibus, quàm potius quod ea loca, quæ hactenus tuto adiri non

poterant,

poterant, omnis generis mercibus abundent, atque ob earum ingentem copiam, lucri minor ſpes mercantibus affulgeat. Sed non tam paci, quam arctiori conjunctioni regionum Orientalium ac Septentrionalium, cum Occidentalibus imputari debet. Enimvero, jam ante Pacem promulgatam, mercimonia omnis generis ex illis regionibus in has, ac vice verſa, neglectis fœderati Belgii provinciis, deportari cœperant: quæ conjunctio, ſi in poſterum ſingulari induſtia & arte non impediatur, longè majora incommoda mercaturæ, quæ hic exercetur, obvenient. Ne quid jam dicam de Suecorum potentia maritima, plurimiſque, iiſque commodiſſimis portubus, quos habent ad Mare Balthicum, nec non de induſtriis mercatoribus, qui ex ipſo Belgio in illam Septentrionis oram commigrârunt, quique non ſolum ſub illo Sole novam ſocietatem naves in utramque Indiam expedituram animo agitant; ſed in ſummum noſtrorum mercatorum præjudicium adire jam incipiunt Guinæam, aliaſque Africæ oras. Hæc & ſimilia in præſentia ne attingam, hæc extra omnem dubii aleam, Belgicæ negotiationis cardinem in hoc verti, quod Batavia, velut quoddam τῆς οἰκουμένης horreum, recipere, undiquaque omnis generis merces debeat, eaſque deinceps aliis omnibus nationibus pro arbitrio deſtribuere. Interim,

terim, quicquid prætexatur de mercatura ad fugam quaſi parata, certum eſt per pacem quatuor commoda mercatorum filiis obtigiſſe. I. Hiſpanias, reliquaſque regiones, Regi earum ſubjectas tuto adire poſſunt. Quanquam enim præter ficus, uvas paſſas, lanam, oleum, vinum, nihil ferè aliud terra Hiſpania ſuppeditet, tamen quotannis ex Indiis magna auri atque argenti vis in eam per mare deportatur, quam paulatim ſibi acquirere poterunt, qui omnis generis mercimonia eo inferunt. II. Liberi ſunt ab impenſis maximis, quas facere cogebantur in inſtruendis navibus milite, tormentis bellicis, reliquoque belli apparatu. III. Nomina ſua, quæ plurima in Hiſpaniis ac per Italiam habent, tuto exigere poſſunt. IV. Tutius mercaturam exercere poſſunt, in regionibus Hiſpaniarum regi ſubjectis, non ſolum quod ſecuri ſint impetus hoſtilis; ſed etiam quod explorare facile queant conditionem eorum, cum quibus jura commerciorum colunt. Cœterum iniquum admodum eſt, paci, quæ in ſe conſiderata Dei donum eſt, imputare mercaturæ remiſſionem. Forſan iratus Deus, ejus interitu haſce provincias, admodum ingratas adverſus ſe, mulctare decrevit. Faxit verò idem miſericors Pater, ne propediem in his oris impleatur onerosa illa prophetia, quam de Ninive habet Nahum cap. 3. v. 16.

Multipli-

Multiplicaſti negotiatores tuos præ ſtellis cæli, ut melolontha avolat, avolabunt. Amplius, Antverpiam, pleroſque ex mercantibus hoc pacis tempore diſceſſuros eſſe, multorum eſt metus. *Reſp.* Certe Antverpia, celeberrimum jam olim emporium, plurima habet, quæ mercaturam multos per annos inde exulantem, ad ſe invitare videntur; inter quæ hæc præcipua cenſeri debent: 1. Summa Scaldis commodas. 2. Ædium conveniens, & ad mercaturam facta ſtructura. 3. Incolarum comitas. 4. Onera tributorum levia, & jam pene à Rege & Ordinibus Brabantiæ abrogata. 5. Amplius ibi cambia per totam ferè Europam diſtribuuntur. 6. Ibidem quoque ſub certo contractu ſecuritas mercaturæ per univerſum terrarum orbem præſtatur. 7. Integrum adhuc ibi eſt exercitium inſtitorium. 8. Superſunt quoque in ipſa urbe plurimæ domus Nationales variis privilegiis ornatæ, atque mercatoribus ſecundum nationes diſtinctas ſervire ſolitæ. Interim duo ibi occurrunt incommoda, quæ mercatores abſterrere ſolent. Caſtellum, quod officit liberati mercantium, & interdictum contra Religionem Reformatam. Verum cùm utrique facile à Rege remedium adhiberi poſſit, deſpiciendum ut alia ratione avertatur mercatura. Fiet verò hoc facile, ſi ut convenit, majores naves Scaldis aditu arceantur,

ceantur, merceſque quæ minoribus navibus aut è Zelandia, aut è vicinis regionibus deportantur, aliis ejuſdem generis navibus ad Lilloanum propugnaculum excipiantur: adhoc neutiquam tributum, quod *licentiam* vocant, remittatur. Aliud quidem vovent, qui ad medium Janum ſedent; ſed ſi hoc fiat, brevi plurimum mercium omnis generis undiquaque eò deportabitur, eæque per Brabantiam, Flandriam, vicinaſque regiones, viliori prætio, quam in his regionibus, vendentur, imo ex portubus Flandricis, in maximum præjudicium mercaturæ Hollandicæ & Zelandicæ, per totum terrarum orbem diſtribui poterunt.

CAPVT XXVI.

Quomodo opifices, per quos hæ provinciæ plurimum florent, retineri queant.

OPifices quoque magnam partem migraturos eſſe, multorum eſt ſuſpicio. Per eorum verò manuaria opera hactenus mirum quam florent fœderatæ provinciæ. *Reſp.* Dubio procul integris agminibus migraturi ſunt opifices, pacatâ per ſingularem Opt. Max. Dei gratiam Germania. In Britanniam, ſi componantur ibi domeſtici motus, multi quoque redibunt. Et quanquam per Flandriam, Hannoniam, atque Arteſiam liberum

Religionis

Religionis Reformatæ exercitium non eſt permiſſum, multi tamen, quod inde originem trahant, & commodè ſe victuros in patrio ſolo augurentur, eo revertentur, ſecuri religionis & conſcientiæ, quam, proh dolor! plerique præ lucro negligere ſolent. Eoque omnia excogitanda ſunt, quibus hi deliniri, atque ad manendum invitari poſſint. Sex verò præ aliis occurrunt: I. Curandum ut annona ſit laxa: vulgus enim duas res, ſecundum Satyricum optare ſolet, *panem & Circenſes.* Haud difficile autem id erit, ſi curetur, ut frumentum domi natum non exportetur, & tantum perpetuo, conſtitutis ad hoc publicis annonæ præfectis, ex adventitio frumento publica authoritate aut ematur, aut conſignetur, quantum contra famem, quæ ingruere poſſet, requiri videtur. Eadem cura circa butyrum atque caſeum adhibenda eſt: duabus enim hiſce vernaculis delitiis, quod uberrimè hic proveniant, multi ex peregrinis alliciuntur, ac detinentur. II. Publica ergaſteria eſſent erigenda, ad quæ pueri ſeptennes adducantur; in iis conſtituendi forent varii opifices, maximè pannifices, qui ſingulis pro ratione ætatis penſa diſtribuerent; item ludimagiſtri, qui horis commodis, diebus profeſtis quoque, eos legere ac ſcribere docerent; magiſtratuſque pueris, minoribus quoque, hebdomada quaque, præ-

mium quod, amplius quàm promereri adhuc poſſent, decernere deberet, quo parentes facilius eos educare queant: diebus Dominicis adhoc adigi deberent ad audiendas publicas conciones, atque aliqui eorum Catechizationi præeſſe. Enimvero, ſi hoc in ſingulis urbibus, imo municipiis fieret, erectis eum in finem commodis ædificiis; & mendicorum minus eſſet, & pauperes, qui liberos ſuos à prima ætate Marti conſecrare ſolent, eos honeſto alicui opificio mancipando, tantam domeſticorum opificum copiam, inter paucos etiam annos exhiberent, ut nullum, aut leve admodum incommodum, ex abitu peregrinorum poſſet animadverti, III. Peregrini opifices, qui ferè multis in locis negliguntur, admittendi quoque eſſent ad magiſterium & inſpectionem tribuum ad quas pertinent. IV. Præ cæteris verò opera danda eſſet, ut omnia opera, (exceptis indumentis certæ perſonæ paratis) quæ à quibuſcunque opificibus conficiuntur, probarentur per cenſores & inſpectores, peculiariter ad hoc in quaque tribu conſtitutos: eadem opera peculiari quoque nota eſſent ſignanda, quo internoſci poſſent. Si enim opera manuaria, quæ in his provinciis conficiuntur, non niſi omnibus numeris caſtigata probarentur; ſanè perpetuo invenirentur Roſcii in quaque arte, omneſque externi opera hic confecta expoſce-

expoſcerent. v. Interdicendum eſſet mercatoribus, ne in has provincias opera, alibi parata, importarent: exceptis iis, quæ ab exteris à longo jam tempore, ſive ex fœdere cum ſociis, ſive ex immemoriali conſuetudine admittuntur, ut ſunt V. C. panni Anglici; item iis, quæ in his oris ordinario confici non ſolent. VI. Curandum ſedulo foret, ut omnia tributa ac onera, quæ pauperes præ cæteris premere ſolent, non quidem per omnia abrogarentur; ſed ſic allevarentur, uti nullum incommodum ex iis ſentiri poſſet.

CAPVT XXVII.

Quâ ratione tributorum onera, quæ hactenus valde gravia ſunt, laxari queant.

PLurimi de relaxatione tributorum deſperant, tum quod æs alienum grande à ſingulis provinciis exſolvi debeat; tum etiam quod magni adhuc ſumptus faciendi ſint, in propugnaculis ſartis tectis præſtandis, & ſolvendis ſtipendiis militum, qui in omnem eventum ſub ſignis ſervari debent. *Reſp.* Non diffitendum difficile hoc negotium eſſe. Interim cogitandum de relaxandis tributorum oneribus: quod ſi non fiat, ingemiſcet populus, & pacem ipſo bello duriorem eſſe queretur. Nec tamen abolenda omnia vectigalia. Agitabat hoc aliquando Nero, uti teſtis eſt

 Tacitus

Tacitus lib. 13. Ann. cap. 35. ſed interceſſerunt Senatores, *diſſolutionem imperii docendo, ſi fructus, quibus reſp. ſuſtinentur, deminuerentur. Quippe ſublatis portoriis, ſequens ut tributorum abolitio expoſtularetur, pleraſque vectigalium ſocietates, à Conſulibus ac tribunis plebis conſtitutas acri etiam populi Rom. tum libertate. Reliqua mox ita proviſa, ut ratio quæſtuum & neceſſitas erogationum inter ſe congruerent.* Vtinam poſtremum illud, de quo gloriantur Patres Conſcripti, inter fœderatas provincias anquiſitè per omnia obſervaretur! Vt vero malo, quod creditur inſtar gangrænæ remp. exedere remedium adhiberi queat, ubi ſedem ſuam habeat ante omnia inquirendum. Per Dei gratiam non omnes adhuc provincias, ſed quaſdam ex iis, aut verius civitates aliquas certarum provinciarum occupavit. Privata hæc incommoda, à publicis ante omnia diſtinguere convenit: membro aliquo laborante, reliqua per conſenſum compati, doctoremque admittere poſſunt, non tamen æquali ratione affici. Ad paucos artus Reip. ſi derivata fuerint mala, de quibus publica eſt querela, facilius remedio conſtabit ratio, & integri læſis nullo negotio ſuccurrent. Deinde examinanda debita, quæ exſolvenda adhuc videntur. Non agam jam de novis tabulis, quas toties Rom. reſp. ad ſummas anguſtias redacta, propoſuit: expendatur tum cauſſa debiti, tum perſona

ſona in cujus ære eſt reſp. & multa, ſi juſtitiæ habeatur ratio, occurrent, quæ in gratiam rei communis diſpungi atque induci debeant. Probroſum reip. nihil in eos quæſtores ſtatui, qui cum inſtar famelicarũ muſcarum ad ærarium advolârint, non ſolum auſint ſuperbas ſuas baſilicas, & villas nomina civico modulo majora præ ſe ferentes, fremente licet, plebe, oſtentare; ſed amplius ingentem ſummam, quamque nunquam ex hæreditate paterna ſperare potuerint, ab ipſa rep. exigere. Impune ſi hæc haberi debeant, quid in poſterum de ſarcienda ærarii lacuna vel cogitare licebit? Cæterum ſi hæ ſpongiæ exemplo Veſpaſiani primitus in unius ærarii gratiam exprimantur; haut, per Dei gratiam difficile fuerit, liquida debita exſolvere. Si aut termini creditoribus definiantur, aut cum iis commoda ratione tranſigatur, (in talem transactionem præter opulentiores, ii, qui ad clavum reip. ſedent, ſi forte publica nomina habeant, tanquam genuini patres patriæ primo conſentire deberent) ordinaria tributorum onera quàm primum laxare licebit. Quæ ut minuantur, amplius exiſtimarem ſequentia ad praxin revocanda eſſe. 1. Opera danda ut nullos ſumptus, niſi per omnia neceſſarios, faciat reſp. 2. Vultures, publicam rem devorare ſoliti, abigendi ſunt. 3. Nulli impune liceat ærarium expilare.

4. Onera pauperiores præ cæteris gravare ſolita aut per omnia abroganda, aut ſaltem admodum minuenda ſunt. 5. Hinc abolenda in totum capitatio, utpote gravis præ cæteris pauperibus. 6. Deinde quam minimum pendendum prô pane, ſale, cerviſia tenui, ceſpitibus, butyro, caſeo, &c. pauperum enim uſibus præ cæteris inſerviunt. 7. Et quoniam agriculturæ, pacis tempore præcipuè, uti ſuprà oſtenſum fuit, conſtare debet ratio, opera danda, ut non niſi opulentiores agricolæ onera ſuſtineant, aut potius illi qui latifundia poſſident: quales minus ſe premi ſentiunt. Saltem primo quoque tempore opera danda erit, ut vulgus agricolarum aliquod levamen ſentiat. Alicubi agri, hactenus privilegiati occurrunt, qui tempore belli minimum ſolverunt, ex re eſt deſpicere an non in partes deinceps venire poſſint eorum domini, ut & nobiles, in quibuſdam provinciis hactenus privilegiis amplis præ ruſticana turba gaudere ſoliti. Decimarum decimæ ſi in ærarii ſubſidium exigerentur, turbæ ruſticanæ quoque conſuli poſſet. 9. Iis, quibus quis carere poteſt, & quorum uſus inter opulentiores potiſſimum occurrit, nihil ſubducendum; V. C. vino, cerviſiæ tranſmarinæ, pannis pretioſis, &c. 10. Item oneribus, quibus quis ultro ſe gravat, levamen non videtur concedendum. Sic ſalubriter in multis

tis provinciis proviſum, ut in judiciis & coram tribunalibus non liceat uti niſi charta ſigillo publico munita. 11. In quibus locis privata ædificia vectigalia ſunt, opera danda eſt, ut in poſterum pauperum caſis parcatur: poſſentque domus deinceps vectigales futuræ, ſecundum certum pretium æſtimari. 12. An portorium, vulgo *Licentiam* vocant, abrogari deinceps debeat, in quæſtione verſatur. Optarent quidem mercatores, & videtur hæc eſſe ratio, quod non poſſint ſuas merces eodem pretio vendere cum iis, qui neglectis his regionibus, quas antea merces ſuas expoſituri frequentare ſolent, ipſi nunc eas regiones, urbes, & portus adeunt, in quibus non alii quàm Batavi mercatores conſpici ſolent. Ex oppoſito, ut rectè apud Tacitum Senatores diſſerunt, univerſum portorium abrogare haut tutum eſt; certe in noſtra Republ. fieri non poteſt. Eóque ſic diſtinxerim, ut ea, quæ in his regionibus ſolum haberi poſſunt, aut ſaltem alibi æque bona non occurrunt, ſi exportentur, ordinarium canonem ſolvant: talia ſunt butyrum, caſei Hollandici, rubia tinctorum, &c. item haleces ſalitæ, quoniam enim circa eas ſtrictiſſimus obſervatur ordo, omnibus aliis palmam præripiunt. Huc etiam pertinent aromata omnis generis ex India Orientali adferri ſolita: quanquam enim Luſitani, Angli &

Dani quoque eas regiones adeunt, quantula tamen eſt ea portio quam adferunt, ſi componatur cum ea, quæ quotannis Orientalis Indiæ Societati adfertur. Idem ſuaſerim de ſaccharo, ebore, aliiſque rebus quæ partim è Braſilia, partim ex Africa apportantur. Cæterùm hæc non ſunt gravanda, niſi quando exportantur. Similiter multa opera manuaria, hic potiſſimum confici ſolita, plurimum, quando exportantur pendere deberent. V.C. Panni linei, & lanei varii generis, veſtes, &c. Reliqua, quæ ab aliis regionibus, æmulis jam diu mercaturæ patriæ, per totum terrarum diſtribui ſolent, quando inferuntur non oneranda, & quando extra regiones has exportantur, modicè ſolum, ne abſterreantur in poſterum mercatores. Si verò eadem in his regionibus confecta fuerint, velim idem notatum, quod jam ante dictum: ſi ſcilicet pauperibus potiſſimum ſervient aut nihil aut parum pendant, plurimum verò, ſi opulentorum potiſſimum uſibus. 13. Quoniam verò hactenus promiſcuè agricolæ majorem partem onerum ſuſtinuerunt, & ea laxari omnino ex re ſit, operæ pretium fuerit, non ſolùm ea, ut monui laxâſſe; cæterùm agendum quoque foret, cum proprietariis agrorum, ne remittente aliquid de oneris parte Republ. canon annuus intendatur. Enimvero quod ſolatium miſeris & exhauſtis multis

in

in locis agricolis obtinget, ſi tantundem nomine intenſionis canonis ſolvere privatis perſonis teneantur, quantum hactenus quæſtori ærarii ſolverunt. Quum verò non poſſit reſp. eſſe locuples quandiu cum egeſtate luctantur cives, optandum omnibus modis foret, ut ſupremi Patres Patriæ fibulam ponerent ſuis ſubditis ultro ad pauperiem ruentibus. Quid fiet, ſi tempeſtiva, & quotidiana cuivis agitare liceat convivia, nullaque opificum tribus plura membra, quàm cauponaria numeret? fortunis excutientur omnes, quicunque hic aut æmulationi, aut conſuetudini ſuæ indulgent. Præivit Nobiliſſimus, Ampliſſimuſque Senatus Daventrienſis in gratiam ſuorum civium ſumptuariis legibus latis; utinam ſequantur alii, nec leges ſolum ferantur, verum exſecutioni quoque mandentur! Non poſſum quin & aliquid de *veſtibus* moneam? quo luxus in iis non acceſſit? quid fiet, ſi cuiq; ordini ſuus non definiatur cultus! Pauperiores cives nihil in futuros uſus ſeponere poſſunt, quoniam modum circa veſtitum ſervare neſciunt: mediocres fortunis excutiantur, quia nobilibus credere nolunt. Nobiles pauperiem provocant, quod veſtes identidem mutent, ne quid commune cum civibus habeant. Perluſtra animo omnes nationes, & cunctas infra Belgarum petulantem luxuriam conſiſtere cognoſces. Remedio opus eſt, &

 quidem

quidem tempeſtivo & ſerio: flagitant illud omnes boni, & ſerium eſſe jubet extrema neceſſitas.

CAPUT XXVIII.

Quomodo conſuli poſſit iis, qui è ſolo bello hactenus vixiſſe videntur. Duo extrema circa honores notantur.

HAut pauci quoque occurrunt, qui exiſtimant propterea pacem provinciis his minus ſalutarem futuram, quod in poſterum, quam plurimi omnis generis homines, deſtitui debeant ſubſidiis commodè vivendi. *Reſp.* Non diffitendum, amplius quam tricies mille homines hactenus operam ſuam bello locâſſe, atque ex eo compendium feciſſe, quo impoſterum deſtitui debeant. Cæterùm tum iis, tum multis aliis, ſi fortè hominum numerus per has provincias idem maneat, non difficulter conſuli poterit. Quibus proſpiciendum aut ex fæce vulgi ſunt, aut alicujus ordinis ac loci, itemque doctrinæ. Illis conſuletur, partim ſi eorum liberi à prima ætate opificibus tradantur, quæſtumque faciant ſecundum ordinem jam antea definitum; partim etiam ſi major eorundem frequentia, aliquando fortè Reip. gravis futura, diſtribuatur per colonias, deducendas in Indiam Orientalem, Braſiliam, Virginiam,

niam, &c. Hi verò in officio continebuntur, ſi honeſtæ quædam dignitates, & populo non graves excogitentur, quæ iis committantur; item ſi munera uni hactenus commiſſa, cum plures tamen alere poſſint, inter plures diſtribuantur; ac denique ſi reformatis opificum & mercatorum tribubus, honorati quidam arbitri dentur, qui de controverſiis eorum cognoſcant. Præ cæteris cavendum, ne promiſcuè, filii quorum nulla experimenta in publicum nota ſunt, parentibus ſuis ſucceſſores diſtinentur. Enimvero, ringuntur & femur feriunt viri magni, quando vident omnem ſibi aditum ad honores præcludi, & viam, quam paratam per aliorum exceſſum ſperabant, in anteceſſum per alios, nondum probatos obſeptam eſſe. Præclarè apud Tacitum lib. 1. Annal. cap. 11. Tiberius ad Patres diſſerit, *in civitate tot illuſtribus viris ſubnixa, non ad unum omnia deferrent. Plures facilius munia Reip. ſociatis laboribus exſecuturos.* Ignoſcite verò lectores, quod aliquantiſper hic vos morer. Duo occurrunt, quæ non poſſum non notare, atque utinam ſic notem, ut remedium adferre queam! Initio quæ Belgii occurrit Vrbi, in qua ſe non prodat juventutis temeritas in ambiendis iis, quoque honoribus quorum vix ſenes capaces ſunt. Scilicet Academiarum frequentia, literiſque vacandi commoditas per fœderatas haſce

provincias, ipſos excitant cerdones, ut malint gallam bibere & ventri ferias indicere, quàm non unum aut alterum è filiis Muſis conſecrare. Atque utinam ſic conſecrarent, ut ipſi iiſdem rite atque ordine operarentur! certè addiſcerent modeſtiam, ſuoque tempore Reip. utilem operam dare poſſent. Verum quoniam manu vix dum ferula ſubducta ad Academias properant, atque dicis duntaxat causſâ ſolis ferè Iuris Doctoribus operam dant, (à Iuſtiniano ſiquidem honores exſpectant) tantos ſibi ſpiritus ſumunt, ut mox non ſolum præceptores ſuos contemnere incipiant, verùm etiam nullum præ ſe hominem æſtimare. Poſtea aditur Gallia, excusſiſque in ea paternis loculis, filius meus domum redit, rerum politicarum florentiſſimi illius regni (multum fuerit linguam didiciſſe) æque gnarus atque paternus Mopſus, qui inſtar Ulyſſæi canis domi manere debuit, ut herilem filium, (quem reducem mater ipſa ob peregrinum cultum vix agnoſcit) ſuis demonſtrare queat parentibus: qui haut minorem ſibi, quàm bene merito ſcilicet meo filio injuriam fieri exiſtimant, ſi primo à reditu anno, Reip. non admoveatur. parens, & amici ſi fortè quid poſſint & nomen aliquod ferant, quæ non agunt & moliuntur, ut hujus ſui voti damnentur, filioque ac nepotulo ab uno faſtu & literaria ignorantia (natura ſi

aliquid

aliquid largita fuerit, beneficii loco res communis cenſere poteſt) ſpectabili, dein dotatam pulchrè uxorem (*cujus religionis & conditionis ſit,* non quæritur) in manus dent. Erubeſcerem hæc proponere, niſi bonis quibuſque ingemiſcentibus, quotidie fierent. Lubens do annarias leges, non debere eſſe edicta regum Perſarum, & rectè cenſuiſſe Ariſtotelem lib. 1. Eth. cap. 1. cum ſcriberet, *nihil intereſſe juvenis ætate, an moribus aliquis eſſet*. Sed interim, ut omnino promovendos ad ea quorum capaces ſunt, exiſtimo juvenes iſtos, qui cum Scipione, animi dotibus & prudentia ſenes multos provocare poſſunt: ita lubens fateor, me non videre, quomodo illa ſubſiſtere queat Reſp. in qua promiſcuè, & quaſi per parentum interceſſionem, meritorum ferè nomen mentientem, quibuſvis adoleſcentibus, qui nulla vel ſui ceperunt experimenta, promiſcuè quicunque non ſolùm honores, ſed libertatis & privilegiorum quoque (quo labimur!) vindiciæ citra ullum examen committuntur. Alia mens Solonis erat, qui lege apud Athenienſes ſanxit, ne quis juvenis ad magiſtratum, aut conſultationes admitteretur, quamvis cæteroquin prudentiſſimus videretur, propter inconſiderationes variarum rerum utilium, ut teſtatur Iuncus apud Stobæum ſerm. 114. idem ſcrupuloſè obſervatum

tum

tum à Romanis, qui prudenter in magiſtratibus capeſſendis voluerunt ætatem ſpectari petitorum, *ne mobiles adoleſcentum animos præmaturis honoribus ad ſuperbiam extollerent*, ut cum ratione diſſerit Tiberius apud Tacitum lib.4. Annal. *Nec quiſquam tantum valuit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos Comitiali lege* (ita eam vocabant, quod modum Comitiis definiret) *præſcriptos, feſtinatis honoribus occupârit*, ut loquitur Latin. Pacat. in Panegyr. nôrunt, & pariter præeunt Veneti. utinam nos ſolum ſequamur! Dein noto ambitum, apud meos Belgas in omnibus urbibus, imò municipiis, & pagis, adeò familiarem, ut myſticum vocabulum *kuypen*, quo ferè utimur, in gentis noſtræ opprobrium à peregrinis quoque frequentetur, ringentibus interim bonis quibuſque, *quum nihil ſit indignius, quàm non dignos homines honore honeſtatos videre*, ſecundum Salluſt. in Catil. Quis artes omnes, à Stygio hoc malo excogitatas explicet? Et tamen alia perpetuò mens fuit iis, queis è meliori luto præcordia erant facta. De ſe ipſo Cicero Orat. pro Planc. *Equidem primum ut honore dignus eſſem maxime ſemper laboravi: ſecundo ut exiſtimarer: tertium mihi fuit illud, quod pleriſque primum eſt, ipſe honos: qui iis denique debet eſſe jucundus, quorum dignitati populus Romanus teſtimonium, non beneficium ambitioni dedit.* Idem ſenſus fuit Attico, qui honorum petitio-

petitione, teſte Corn. Nepote in Vita illius abſtinuit, *quod neque peti more majorum, neque capi poſſent, conſervatis legibus in tam effuſis ambitus largitionibus, neque geri ſine periculo, corruptis civitatis moribus.* nec ſine ratione, ſiquidem ſecundum Claudianum de III. Conſ. Honorii

——— *Emitur ſola virtute poteſtas.*

Magnus ille Pomponius Atticus, quem tanti fecit M. Tullius Cicero, ſi hodiè viveret, velut fatuus, ab iis, qui ſoli Politici audire volunt, exſibilaretur. Interim ipſe rectè periculum auguratus fuit ei Reip. in qua termini nulli graſſanti huic vitio ſtaturi. Idem cenſuit Salluſtius, ut liquet ex variis locis in Conjur. Catilin. Alia exempla ne adducam, periculum hoc experta fuit Roma. nam ut teſtis eſt Senec. de Conſt. Sapient. cap. 1. *hinc P. Clodius, hinc Vatinius, ac peſſimus quiſque verum dabat; & cæca cupiditate corrupti, non intelligebant, ſe dum vendunt, etiam venire.*

Hinc rapti pretio faſces, ſectorque favoris
Ipſe ſui populus, letaliſque ambitus Urbi,
Annua venali referens certamina campo,

Secundum Lucan. lib. 1. Pharſ. *Nam provincias*, inquit Seneca lib. 1. de Benef. cap. 9. *ſpoliari, ac nummarium tribunal, audita utrimque licitatione, addici, non mirum: quando, quæ emeris vendere, gentium jus eſt.* reſpexit eodem Tacit. lib. 12. Annal. *Et cum vis negligeretur, avari-*

avaritiam præfecti mercatur; *obſtante Caſperio, ne Armenia donum populi Romani, ſcelere & pecunia venderetur.* At quorſum hæc pluribus perſequor? Vereor, vereor, ne *multorum ambitu campus maneat infamis*, ut loquar cum Claud. Mamert. Paneg. pro Conſ. Grat. Act. Tu tamen, ô Deus, reſpice eos, qui hoc nomine ad te ingemiſcunt!

CAPUT XXIX.

Qua ratione obviam eundum ſit variis domeſticis tumultibus, itemque certaminibus, quæ forte circa privilegia excitari poſſent.

NOndum omnes exempti ſunt ſcrupuli, plures alii ſuperſunt, tum hoc, tum ſubſequentibus capitibus removendi. Ergo quam plurimi motus & turbas domeſticas metuunt. *Reſp.* Non ſine ratione illę metuuntur. Atq; utinam Salluſtii oraculum, quod habet in Orat. ad Cæſarem, noſtram Remp. non reſpiciat: *Ego ſic exiſtimo, quoniam orta omnia intereunt, qua tempeſtate urbi Romanæ fatum excidii adventaverit, cives cum civibus manus conſerturos. Ita defeſſos & exſangues regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queant hoc imperium.* Cogitandum tamen de remedio. Si ergo, quod Opt. Max. Deus clementer avertat, domi aliqui motus orian-

tur

tur, quam primum iis occurrere oportet. Rectè Tacit.lib. 1. Hiſt. cap.31. *Incipiens adhuc, & nondum adulta ſeditio melioribus conſiliis flectitur.* Incipiendum autem à facilioribus remediis, ſuaſionibus ſcilicet ac blandis verbis animi diſſidentes primò mulcendi. Quod ſi nequicquam iis proficiatur, citra moram ullam,ſequendum eſt Vegetii conſilium lib. 3. cap.4. ubi ita: *quod ſi,* inquit, *pœnam aſperiorem neceſſitas extrema perſuaſerit, rectius eſt, more majorum in auctores criminum vindicari, ut ad omnes metus,ad paucos pœna perveniat.* Extremum hoc quidem remedium eſt,ſed ſæpè neceſſarium. At quinam hoc facient, varii quærunt. *Reſp.* Tentabit ipſa provincia, cui forte malum hoc obtigerit, primò per ſemet ipſam,delectis adhoc quibuſdam,qui non abſimiles ſint Menenio Aprippæ, de quo Liv. lib. 2. omnemque operam dabit, ut ante omnia motuum cauſſæ tollantur. Verè Menenius, de quo modo facta mentio apud Halicarnaſſ. lib. 6. *Quælibet ſeditio in qualibet civitate rectè curatur, ſi tollantur ejus cauſſæ.* Domeſtica remedia ſi non ſufficiunt, (haut facilè tamen ab iis recedendum eſt) ad ea, quæ ſalubriter in Vnione Vltrajectina art. 16. ordinata ſunt, quàm primum confugiendum: Gubernatorque provinciarum, adſcitis iis, quos viſum fuerit in partes vocare, malo ſerpenti remedium adferre laboret: qui, ſi ſepoſitis

poſitis omnibus aliis negotiis, quanto ocyus ad exſtinguendum commune hoc incendium properaverit, beneficium quod uni Provinciæ contuliſſe videbitur, univerſæ fœderati Belgii Reip. conferet. Ita olim in Græcia, ſi quid tumultuum inter fœderatos populos exortum eſſet, coïbat mox magnum Concilium Amphictyonicum, ſingulis qui ad illud pertinebant, ſuis impenſis eò ſuos legatos cum ſacerdote mittentibus, nec ante ſolvebatur, quàm omnia compoſita eſſent; uti teſtis eſt Strabo lib. 14. Amplius nonnulli metuunt certamina de privilegiis, tum inter ſingulas Provincias, tum inter quarundam provinciarum membra. *Reſp.* Non diffitendum alicubi fomitem ſupereſſe, qui ſi affletur, levi momento magnum incendium excitare poſſit. Cæterùm in tempore occurrendum, nec permittendum ut de iis pertinaciter contendatur: nam ut verè à Plutarcho in Ageſilao dictum: *Nimiæ contentiones civitatum, eas in gravia diſcrimina adducunt.* Adhibendum inſuper remedium, quod ipſa unio Vltrajectina art. 9. & 16. ſuggerit. Sed an tutum ejuſmodi controverſias ſententia definitiva terminare? vix videtur. Præſtat animos componere, atque ad Pacem invitare, inſuper interlocutoriis ſententiis eas lactando. Præjudicium certè ingens univerſæ Reip. creabitur, ſi una etiam ex iis privilegiis, quibus longo

go tempore gaviſa fuit, in perpetuum mulctetur. Tantum ſi fuerit crimen, ut circumſcribenda videantur privilegia, eorum potius exercitium ſufflaminetur, quàm ipſa penitus tollantur. Ad me probavi ſemper prudentiam Segeſtis, cui ſecundum Tacitum lib. 1. Ann.cap. 58. *Vetera novis, & quieta turbidis antehabita.* Quid quod provinciæ fœderatæ ſe obſtringunt ad mutuam defenſionem privilegiorum,& laudabilium conſuetudinum, Art. 2. Vnionis. Ex re interim eſſet eos quam procul exeſſe, & ubicunque inveniuntur exterminari, de quibus ſcribit Paulus Jovius lib. 38. *Sunt ferè* (inquit) *in cunctis urbibus factioſa ingenia, quæ cujuſque magnæ rei editæ rationes excutere, ſubjicereque cenſuræ ſuæ inſolenter & protervè ſolent, ut partibus, quibus ſe ſemel addixerint, propenſiſſimo ſtudio, ſermoneque paſſim, & perſcriptis undique litteris oportune deſerviant.* Neutiquam verò reliquæ provinciæ ſe immiſcebunt controverſiis,quibus una aliqua provincia exercetur, hoc enim expreſſe prohibetur dicto art. 1.

CAPVT XXX.

Pontificiis & Ieſuitis in has Provincias venientibus, quomodo reſiſtendum ſit.

HAut pauci quoque metuunt, ne Papiſmus hoc Pacis tempore caput ſuum per has

has Provincias exercere incipiat. *Reſp.* Aliud hic nihil requiritur, quàm ut executioni mandetur Ordinum Generalium Edictum, conditum d. 13. Auguſti anno 1641. quo I. omnibus Ieſuitis, Sacerdotibus, Clericis, & Monachis cujuſcunque ordinis interdicitur, ne in fœderatas Belgii Provincias veniant, aut in iis morentur. II. Omnibus præcipitur ne aut Papana conventicula frequentent, aut idololatriam exerceant. III. Gravis mulcta iis decernitur, qui aut filios aut filias ſuas ablegaverint ſive ad Ieſuitarum Collegia, ſive ad ullas alias Academias & Scholas, quæ ſubſunt Regis Hiſpaniarum ditioni. Ideo verò hæc omnia prohibita, quod eorum permiſſio *adverſetur huic ſtatui, eique multis modis noxia ſit*: uti aliquoties in Edicti formula repetitur. Officio ſuo, præter Ordines Generales, quorum edicti ſummam propoſui, defuncti ſunt Ordines Zelandiæ ſpeciali edicto condito die 16. Octobris, anno 1642. Item Ordines Friſiæ, ſimili edicto promulgato die 7. Iulii anno 1643. & quod non ſine ratione aliquis miretur præivit, zelum ſuum præ cæteris declarando Ampliſſimus Senatus Vrbis Schoonhoviæ, die 6. Martii anno 1641. laudabili admodum Statuto vulgato, quo omnes articuli, qui hic occurrere ſolent, diligenter enumerantur. Quod ad praxin verò nulli in Belgio Magi-

ſtratui

ſtratui cedit Ampliſſimus & Nobiliſſimus Magiſtratus Daventrienſis, fervidus vindex Orthodoxæ religionis non ſolum adverſus Pontificios, ſed etiam improvidos Lutheranos, (qui nuper ibi ſubrepere variis artibus laborârunt) imo quoſcunque Sectarios. Exiſtimant quidam (imo hoc conſilium Ordinibus Generalibus Rex Galliarum Henricus IV. ſuggerere laboravit per Præſidem Ianinum anno 1609. menſe Iunio, & iterum Rex & Regina mater per ſuos legatos die 3. Martii, anno 1644.) Remp. noſtram ſecuram à Pontificiis fore, ſi iis liberum religionis exercitium permittatur: Sed, nę alia jam tangam, (quę alibi plena manu propono) alia omninò mens fuit viro prudentiſſimo, & de patria libertate meritiſſimo, vero patriæ patri Guilielmo Auriaco, ſiquidem in Apologia ſua pag. 67. Editionis Patii, prudentiſſimè ſtatuit non poſſe fœderatarum provinciarum libertatem ſartam tectam eſſe, admiſſo libero exercitio Papanæ religionis: quod qui eam religionem profitentur (ſaltem Clerici) diſpenſationem impetrare poſſint, à juramento fidelitatis Magiſtratui præſtito, Papæque nutus omnibus legum vinculis, juramentoque aliàs religioſiſſimo longè præferatur. Deo verò gratias, quod eadem adhuc ſententia ſedeat ſupremis Patriæ libertatis vindicibus Illuſtriſſimis & Potentiſſimis Ordinibus Generalibus,

ralibus, qui reſponſo omnibus provinciis ſubmiſſo, quod dederunt tribus Chriſtianiſſimi Regis Legatis, expreſſe teſtantur, publicum exercitium Papanæ religionis, ideo non poſſe Pontificiis in harum provinciarum diſtrictu habitantibus permitti, quod 1. adverſetur verè Reformatæ Chriſtianæ religioni. 2. Fundamentis Reip. & 3. quieti ſubditorum & incolarum. Permaneamus ſolum in hac ſententia, quæ per manus hæreditario imò à partibus noſtris nobis tradita eſt, & omnia ſalva erunt. Interim fas non eſt convenire, unaque tantum lege opus videtur, ea ſcilicet quæ urgeat executionem Diplomatum, quorum jam antea facta mentio. Quid juvat ea ſæpe renovari, & portis urbium affigi, ſi nunquam, aut ſaltem rariſſime, executioni mandentur, impunéque liceat ea dilacerare, aut carbonibus deformare. Fruſtra ſumus, ſi boni quid exſpectemus à Pontificiis inter nos degentibus; paucos eorum ſi excipias, omnes doctrinam Ieſuiticam imbiberunt, adverſanturque ſi non ore tenus, ſaltem animo, præſenti Statui. Domini Legati in ſua Propoſitione eorum *multitudinem* notant, quam ipſi, ſi qui alii exploratiſſimam habent, computantes ultra quadraginta millia hominum, in his oris viventium, qui pro fide ex ſuo ſenſu Catholica arma geſtare queant. An ad horum molimina non ſic attenden-

tendendum, deſpiciant illi, qui nôrunt quantum tribuendum ſit multitudini exacerbatæ, hæreditarioq; odio æſtimanti, quotieſcunque circunſpicere ac ſeſe æſtimare incipit. Nulla ſi tolerentur Idololatrici cultus exercitia, nec promiſcuus armorum uſus permittatur, publicæ ſecuritati convenienter conſuli poterit. Amplius, non ſine cauſſa multi ſibi metuunt à Ieſuitis ne illa repetam quæ toties ab aliis de hoc hominum genere dicta fuerunt, quàm pernicioſi Reip. hoſtes ſint, agnoſcunt ipſi Illuſtriſſimi Ordines Generales, quando in ſuo Diplomate, condito die 30. Auguſti, anno 1641. ſæpiuſque recuſo & renovato, nominatim notant *pernicioſam & ſanguinariam ſectam Ieſuitarum.* Sed quid periculi ab illis ἀλλοτριοεπισκόποις, & auctoratis Regis Hiſpaniarum ſatellibus creari poterit, ſi ubique magiſtratus contra eos, & eorum machinationes excubias agat? Executioni ſolum mandetur Edictum, cujus jam ante facta eſt mentio, & res ſalva erit. Curia Friſica officio ſuo hac in parte functa eſt induciarum tempore, anno 1616. Ieſuitarum emiſſarios vinculis coërcendo, ſecretamque eorum cancellariam diſſipando. Excutiatur modo illa Cancellaria, & varia Myſteria, ab hoc hominum genere, in ingens Reip. noſtræ præjudicium agitari ſolita, ſeſe prodent. Caveſis verò exiſtimes eos hodiè

alios

alios eſſe ab iis, qui olim erant. Lupus pilum, non animum mutat.

CAPVT XXXI.

A Remonſtrantibus ut multi ſibi metuunt, ita oſtenditur, quomodo eorum conatibus tempeſtivè fibula imponi poſſit.

NEc ſolum à Pontificiis & Ieſuitis, verum pariter à Novatoribus ſive Remonſtrantibus omnes ferè patriæ ſalutis ſtudioſi admodum metuunt. Sed & illi in ordinem redigi poſſunt, ſi inſiſtatur decretis, primique eorum motus in herba opprimantur. Ipſi pace vixdum promulgata ſe movere cœperunt, vulgatis variis libris, quibus non ſolum viros optimè de Republ. meritos fœdum in modum traducunt, ſed etiam arguere audent ea, quæ ſemel placuêre: cæterum inquirendum & animadvertendum in authores & divulgatores famoſorum illorum ſcriptorum. Exſtant Edicta Ordinum Generalium, nominatim anni 1615. 1616. 1611. 1624. & 1639. ſecundum ea inquiſitio & exſecutio inſtituatur, facilique negotio ſcripturientium petulantia coërcebitur. Equidem, quod ſuperiori Capite dixi, iterum dico & repeto: una hic ſolum lege opus, qua ſtricte imperetur exſecutio eorum, quæ hac in parte toties ſalubriter decreta fuerunt.

Interim

Interim omnes Orthodoxæ religionis, patr·que libertatis ſtudioſi ringuntur quàm plu.:mum, quod in ſcriptis, quæ aliquoties recuduntur traduci vident fideliſſimum illum patriæ libertatis, Orthodoxæque veritatatis vindicem, fortiſſimum ſcilicet *Mauritium Naſſovium*, Auriaci Principem glorioſiſſimum, & tot viros egregios, quos niſi Statores Reip. fuiſſe agnoſcamus, injurii in pios eorum Manes ſumus. Quàm dolet iis, qui cum Noacho, Daniele, & Iobo, ſe vexant videntes peccata publica, quæ graſſantur, dieſque ac noctes precibus ſuis pro ſalute Eccleſiæ, & Reip. Belgicæ intercedunt; quod omnium manibus teratur Hiſtoria vitæ & mortis Iohan. Barneveltii, in quo libro quis non videt claſſicum cani, tacitéque concitari plebem ad vindicandum quaſi ſanguinem innoxium: equidem mecum exhorruerunt multi, cum in Dedicatione ſacri illius ſcripti directa ad Nobiliſſimos, & Ampliſſimos Magiſtratus Roterodamenſes, hæc legerent: *Ick ſegh de waerheydt* (propria authoris verba Belgino, quo utitur idiomate proponam, ne exteri ea intelligant, & rideant noſtram tolerantiam) *Barnevelt heeft geen* crimen *begaen; oock noemt hy de Rechters* onrechtveerdighe Rechters. *Dit boeck van Vytenbogaert en is geen Paſquil, want het met* een Reſolutie vande Heeren Staten van Hollandt *is getolereert en toegelaten:*

omnibuſque libris, quos ſecum habebant, multati fuerint; & ante annos non ita multos Nobiliſſimus Ampliſſimuſq; Senatus Amſtelodamenſis interverti curârit aliquot centurias exemplarium Volckelii Latini. Si Novatores, ea, qua jam gaudent libertate, multis in locis uti frui debeant, admonentur modeſtiæ, eorumque anteceſſores lineis certis circumſcribantur prætextuque libertatis non doceatur Socinianiſmus, Turciſmo nihil melior, atque Atheiſmo quàm propinquus. Quam optandum quoque foret, ut in iis patriæ urbibus, ubi Iudæi ſuas habent Synagogas, ſic omnia ordinarentur, ut ne quicquam Chriſtiana læderetur religio, viaque ad eorum hominum converſionem (ſuper quam adeo ingemiſcit Paulus ad Rom. cap. 9.) ſterneretur. In Synagogis ſuis Iudæi contenti ſint Bibliorum lectione, precibuſque id Sacris literis conceptis: nullâ verò ratione Chriſtum blaſphement, ejuſque Eccleſiam traducant; multo minus propriam habeant typographiam, in qua promiſcue omnes libros, & ſæpe Chriſtianæ religioni valde præjudicioſos, excudere impune poſſint. Ne jam dicam Magiſtratum quoque invigilare debere, ut ad veritatem & Chriſtianæ religionis cognitionem paulatim adducantur. Præit Aurelia Elizabetha VVilhelmi Conſtantis vidua, & VVilhelmi IV. Haſſiæ Heredis ma-

ter, ac tutrix, quæ Caſſellis, & in aliis quibuſdam Haſſiæ oppidis, duos conſtituit paſtores quorum unus concionem converſioni Iudæorum congruam lingua vernacula habeat, alter ex Codice Hebræo V. T. textus convenientes prælegat: atque ad hæc exercitia quovis Trimiſtri bis obeunda rigidè omnes Iudæi adiguntur. Tantæ heroinę exemplum utinam noſtros Magiſtratus excitet!

CAPVT XXXII.

Quæ cauſſa ſit, quod fęderatæ Provinciæ, poſt Pacem promulgatam, cum multis publicis calamitatibus adhuc confliƈtentur. Quomodo meditanda ſint Dei judicia, docetur.

NOn illi ſolum, qui de Dei tum beneficiis, tum judiciis reƈtè judicare ſciunt, verum etiam, qui ex vulgo vitam profanam tranſigunt, Pacem ſuſpeƈtare incipiunt, tanquam ab irato Deo conceſſam, quod eadem vix promulgata, contra omnium ſpem atque opinionem annonæ prætium mirum quam incenſum fuerit, mediocriſque fortunæ homines per has Provincias longè difficilius agitent, atque antea flagrante quàm maximè etiam Bello. *Reſp.* Hæc ita ſe habere quis neget? quilibet Pater-familias in fœderatis Provinciis annonæ arƈtioris onus ſentit, duriuſque

que victitant non ſolum pauperes, verum etiam locupletiores. At quid dicemus? An de Deo noſtro, idem uſurpabimus, quod habet Tertullianus in Apolog. cap. 41. ita loquens: *Æqualis*, inquit, *eſt ſuper omne hominum genus, & indulgens & increpans, communia voluit eſſe commoda profanis, & incommoda ſuis, ut conſortio omnes & lenitatem ejus & ſeveritatem experirentur?* Vlterius nobis progrediendum. Plagæ quæ hoc etiam tempore incumbunt, juſtè nobis propter peccata Deus irrogat. Quàm optandum verò foret, nulli inter nos invenirentur, qui ſentientes præſentes plagas, & *eſurientes* non *efferveſcerent, maledicendo Regi ſuo, & Deo*, ut dicitur de obfirmatis Iudæis Eſaiæ cap. 8. v. 21. Quot non ex iis, qui melioris quoque notæ haberi volunt, hactenus Dei judicia erga fratres noſtros in Germania, Britannia, & Hibernia exercita, ſuſque deque habuerunt, nec ſe compoſuerunt ad ea inveſtiganda? Enimverò ad pleroſque ex nobis pertinet querela ipſius Dei, quam proponit apud Ieremiam cap. 3. v. 5. & ſeqq. *Vidiſtine quid fecerit averſa Iſrael? profecta eſt illa ſuper omnem montem altum, & ſub omnem arborem virentem, ubi ſcortaris. Quumque dicerem, poſtquam fecit omnia hæc ad me revertatur, non eſt reverſa; vidente perfida ſorore ejus Iehuda. Itaque viſum eſt mihi omnibus de cauſſis quibus adulterata eſt averſa Iiſrael, dimittere eam, & dare ei libellum*

repudii: nec tamen timuit perfida Iehuda ſoror ejus ſed abiens ipſa ſcortata eſt quoque. Quis noſtrûm, calamitates, quà publicas quà privatas, quas hactenus immiſit, juſtiſſimus Iudex ita ſecum meditatus fuit, ut propterea ſe compoſuerit ad eum ipſum quærendum? aut quis ſeriò pro oblata Pace externa, quæ ingentis beneficii rationem habet, ei gratias agere inſtituit, vitam ſuam ſic emendando & componendo, ut poſſet cenſeri civis regni pacifici, præparati per Chriſtum, unicum ducem pacis? Quam verendum, ne multi promulgata primitus Pace, imò hoc etiam tempore, cum profanis illis apud Paulum 1 Theſſ. 5. v. 3. in corde ſuo dixerint; jam *Pax eſt & ſecuritas*, meditatique fuerint pluribus ſceleribus, quàm antea, vacare. Si nos bene examinamus, deprehendemus idem in nos quadrare, quod de Ieruſchalaimorum incolis queritur Ieremias cap. 5. v. 3. ita dolenter proclamans: *O Iehova, percutis eos, ſed non dolent, conſumis eos, renuunt accipere eruditionem, reddunt faciem ſuam obfirmatiorem petra, renuunt converti.* Ah! mei fratres, dilectiſſimique Belgæ, ſi hac ratione perrexerimus, quid aliud nobis exſpectandum, quàm quod propediem *Deus ſumma nos anguſtia ſit affecturus*, prout ipſe minatur, Ierem. 10. v. 18. Agedum ergo, quandoquidem ejus clementia ſola eſt, quod nondum ſumus conſumpti, ad præſentes plagas

gas

gas attendamus, cogitemuſque Iehovam eſſe, qui quod Pace abutimur, jam *extendit ſuam manum frangendo ſcipionem panis*, qui & *immiſſurus eſt famem, quâ perdat homines & jumenta* Ezech. 14.v.13. niſi nos ex toto corde converterimus. Agnoſcendo ergo ex ejuſdem Dei gratia ipſius judicia, fortiq; ejuſdem manui nos ſubmittendo, at eum unum non verò inſtrumenta reſpiciendo, *primo* hanc confeſſionem corde concipiamus, & ore edamus, præter Iehovam nullum alium occurrere, qui *poteſtatem habeat in has plagas*, Apoc. 16.v.9. quum *abſque illius voluntate ne paſſerculus quidem cadat in terram, ipſeque omnes capitis noſtri pilos numeraverit*, Matth. 10.v.29. & ſeqq. *Secundo* eidem, tanquam juſto judici, tribuamus gloriam, ſecundum illud quod dicit David Pſal. 119.v.137. *Iuſtus tu es, Iehova, & recta judicia tua:* imitando ipſum Davidem, cujus hæc confeſſio occurrit Pſal. 75. *Scio Iehova, judicia tua eſſe juſtitiam, & quod ex fide me afflixeris.* Ei reſpondet confeſſio duûm angelorum in Apocalypſi cap. 16.v.5. & ſeqq. quorum prior quum phialam tertiam effudiſſet exclamat: *Iuſtus es, ô ille qui eſt, & qui erat, & qui futurus eſt, quod hæc judicâſti, eo quod ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, etiam ſanguinem ipſis dediſti bibendũ.* Alter vero Altari proximus hanc vocem emittit: *Etiam Domine Deus Omnipotens,*

vera, & juſta ſunt judicia tua. Imo tota Eccleſia eodem modo coram Iehova ſe humiliavit, deplorans ſiquidem calamitates maximas, quibus jactabatur, hæc interſerit Thren. cap. 1. v. 18. *Iuſtus eſt Iehova, quia ori ejus rebellavi.* Nec hic ſubſiſtere convenit, ſed *tertio* accedere debet humilis & ſincera injuſtitiæ noſtræ deploratio, agnoſcens ſic Deum juſtum, ut pariter deteſtetur ex intimis animi penetralibus omnia quæ commiſſa fuerint contra ejus præcepta. Præit David Pſal. 32. v. 3. & ſeqq. *Quum tacerem, inveteraſcebant oſſa mea in rugitu meo, toto die. Erat enim manus tua gravis ſuper me, & ſuccus meus mutabatur in ſiccitates æſtivas, Sela! Ideo peccatum meum tibi notum faciebam, & iniquitatem meam non tegebam; dicebam:* Confitebor tranſgreſſiones meas coram Iehova: *& tu condonabas iniquitatem peccati mei.* & Pſal. 38. v. 4. 5. *Nihil integri eſt in carne mea, propter indignationem tuam, non eſt Pax in oſſibus meis propter peccatum meum: Quia iniquitates meæ tranſcendunt caput meum; tanquam onus grave, facta ſunt graviores me.* item Pſal. 51. v. 5. & 6. *Tranſgreſſiones meas agnoſco: & peccatum meum jugiter eſt coram me. Tibi, tibi ſoli, peccavi, & feci quod malum eſt in oculis tuis: ut tu juſtus ſis cum loqueris, purus ſis, cum judicas.* Sexcenta loca parallela, hanc methodum probantia ut adducere poſſemus, ita contenti erimus unico, qui occurrit apud Eſaiam

cap.

cap. 59. v. 10. & ſeqq. ubi ita fideles proloquuntur: *Palpamus velut cæci parietē, palmamus ut quibus non ſunt oculi; impingimus ipſo meridie, tanquam in crepuſculo. Sumus in locis deſertis velut mortui. Fremimus omnes velut urſi, & velut columbæ gemimus indeſinenter: nam exſpectamus jus, ſed nullum eſt; ſalutem, ſed procul abeſt à nobis. Nam multiplicatæ ſunt tranſgreſſiones noſtræ coram te, & unumquodque peccatorum noſtrorum teſtatur contra nos: nam tranſgreſſiones noſtræ penes nos ſunt, & iniquitates noſtras agnoſcimus: nempe tranſgredi noſtrum, & mentiri contra Iehovam, retrocedere à Deo noſtro; loqui oppreſſionem & apoſtaſiam, concipere & muſſitare verba falſitatis è corde: propterea jus retroceſſit, & juſtitia ſtat è longinquo: quia veritas corruit in platea, & rectum non poteſt intrare.* In his omnibus uti ſe produnt ſpiritus fractus, & cor contritum; ita apud Deum æſtimabuntur plurimum, juxta ſequentia Scripturæ teſtimonia. Pſal. 34. v. 19. *Iehova propinquus eſt fractis corde, & ſervat contritos ſpiritu.* Pſal. 51. v. 19. *Sacrificia Dei ſunt, ſpiritus fractus: cor fractum & contritum, ô Deus, non ſpernes.* & Eſ. 57. v. 15. *Sic ait excelſus & elatus, qui in æternitate habitat, & cujus Nomen ſanctum eſt: Ego habito in excelſo, & in ſancto: & apud eum, qui eſt contrito & humili ſpiritu, ut vivificem ſpiritum humilium, & ut vivificem cor contritorum.* Corde ex recordatione judiciorum Dei ſic

contrito & humilato, *quarto* aſcendendum eſt ad *thronum gratiæ*, juxta admonitionem Apoſtoli, Hebr.4. v. 16. cum imploratione fervida, lamentabili, & iterata miſericordiæ Dei pro reconciliatione cum Deo per ſanguinem Filii, agni iſtius immaculati & incontaminati Ieſu Chriſti, juxta loca Rom.4. v.9,10. 1 Petr.1.v.18. & ſeqq. Hebr.7.v.19. & ſeqq. cap.9.v.12. & ſeqq. quæ invocatio cum reſpiciat fedus æternum, fideles quoque omni tempore ad fedus hoc appellare ſolent, ut videre eſt Pſal.74. v.19,20. ubi ſic orat Eccleſia: *Ne tradas catervæ* [impiorum] *animam turturis tuæ. Ne obliviſcaris afflictorum tuorum; Intuere in fœdus.* Et Ierem. 14. v.21. *Ne reprobes propter Nomen tuum, nec dejicias ſolium gloriæ tuæ: Recordare, ne rritium facias fœdus tuum nobiſcum. Quinto* & poſtremo concipiamus ſerium ac conſtans propoſitum ſollicite in poſterum devitandi omnem Dei offenſam, quæ hæc judicia procurat, avertamus nos ab omni injuſtitia & peccata, operam dantes juſtitiæ & ſtudentes ambulare *ſecundum ſpiritum, in novitate vitæ, dignè vocatione, digne Domino, digne Deo, digne Euangelio, decenter, tanquam in luce faciendo vias bonas, & ambulando in viis Domini*, à quibus tam multifariam deflleximus, juxta tot fideles admonitiones Prophetarum & Apoſtolorum. Quod ſi hoc modo præſentia Dei judicia meditati

ditati fuerimus, veniet tempus, imò brevi veniet, quò cum Davide Pſal. 119. dicturi ſumus: *Bonum mihi fuit, affligi, ut ſtatuta tua diſcerem.* Ergo, mei fratres, *venite, & convertamus nos ad Iehovam, nam laceravit, & rurſus ſanabit nos; percuſſit, & obligabit nos. Poſt biduum nos vivificabit: & tertio die non faciet reſurgere, & vivemus coram facie ejus, & agnoſcentes perſequemur, ut agnoſcamus Iehovam,* Oſeæ cap. 6. Ac væ! imò væ nobis! ſi mulis & equis nos ſimiles reddamus, paciſque dulcedine dementati ad præſentia judicia non animadvertamus! Certè ſi pervicaces manſerimus, ut hactenus fuimus, quidquid etiam nobis blandiamur: *Iehova percutiet nos inſaniâ, cæcitate, & ſtupore cordis. Et erimus palpantes in meridie, ſicut cœcus in caligine palpat: & non reddet proſperas vias noſtras: ſed erimus tantummodo oppreſſi & direpti omnibus diebus, nec erit Servator,* ut ipſe Deus minatur ſuo populo, Deuter. 28. v. 28, 29.

CAPVT XXXIII.

Obteſtatio ad omnis ordinis homines, qui in Belgio fœderato vivunt, ut graſſantibus peccatis occurrere ſtudeant.

QVamvis ex iis quæ dicta ſunt, liqueat, quomodo per ſalutarem meditationem judiciorum divinorum, ira Dei averti queat,

nihilominus multi in patria viri pii occurrunt, qui intuentes in clamantia peccata, quæ per haſce provincias graſſantur, ab irato Deo iis Pacem conceſſam eſſe exiſtimant. *Reſp.* Enimverò quod Salvianus lib. 7. de Gubernat. de Carthagine dixit, proh dedecus! in quamque Belgii urbem, ſi non pagum, examuſſim quadrat: *Video*, inquit, *quaſi ſcaturientem vitiis civitatem, video urbem omnium iniquitatum genere ferocientem, plenam quidem turbis, ſed magis turpitudinibus: plenam divitiis, ſed magis vitiis: vincentes ſe invicem homines nequitia flagitiorum ſuorum, alios rapacitate, alios impuritate, alios vino languidos, alios crudelitate diſtentos, hos luxus marcore præditos; ſed pœne omnes una errorum morte proſtratos: non omnes quidem vinolentia temulentos, ſed omnes tamen peccatis ebrios, &c.* Sed interim *an oppobalſami nihil eſt in Gilhade? an medicus nullus eſt ibi?* ut uſurpem verba Ieremiæ Prophetæ ex cap. 8. v. 22. Omnino. Longanimitas & benignitas Dei deducunt nos ad pœnitentiam. Vtinam ſaltem nullus noſtrûm juxta admonitionem Apoſtoli ad Rom. 2. v. 4. *divitias benignitatis ejus, & tolerantiæ, ac iræ cohibitæ contemnat!* Sed potius cogitet ſibi uni dictum eſſe, quod ipſe Deus dicit per Tzephaniam cap. 2. v. 1, 2. & 3. *Excutite vos; iterumque excutite, ô gens vacua deſiderio: quum nondum exſequitur decretum, quum nondum ut glumæ tranſit dies; quum non-*

nondum invadit vos æſtus iræ divinæ; quum nondum invadit vos dies iræ Iehovæ. Quærite Iehovam omnes manſueti terræ, qui jus ejus operantur: quærite juſtitiam, quærite manſuetudinem; fortaſſe abſcondemini die iræ Iehovæ! Certe tempus eſt. Nam *ſecuris jam poſita ad radicem arboris*, Matth. 3. v. 10. Non eſt quod quis in alterum oculum conjiciat. Quiſq; pro ſe ſi Reformationi ſtuderit, atque ea, quæ in ſe uno deſiderantur, correxerit, brevi publicè Reformationis opus abſolutum fuerit. Non eſt quod ullus noſtrum aliquod Palladium ſomniet, quare Reſp. noſtra prærogativam mereatur, & libera ab exitio futura ſit. Cum gloriaretur Babylon apud Eſaiam cap. 47. v. 8. *Ego ſum, & nulla præter me amplius: non ſedebo vidua, neque experior orbitatem:* proximo verſu per Prophetam edixit Iehova: *Imo evenient tibi duo iſta momento, die eodem, orbitas & viduitas.* Quando *Iehova exercituum conſummationem præciſam decrevit contra totam hanc terram*, Eſ. 21. v. 22. væ illi qui in peccata ſe præcipitem dederit, *ut equus præceps ruens in prælium*, Ierem. 8. v. 6. Hodie ergo potius, *ſi vocem* Domini Dei noſtri *audiverimus, ne obduremus animum noſtrum*, Pſal. 95. v. 78. ne adveniant illa tempora, quibus Deus exorari nolit, de quibus agit Amos cap. 7. v. 7. & 8. & Ezech. cap. 14. v. 13. & ſeqq. Interim vos qui à Deo conſtituti eſtis *vigiles* in domo illius,

Ezech.

Ezech. 33. v. 6. & ordinariè nomen *Videntium* fertis (1 Sam. 9.) ne ſimiles ſitis *canibus mutis qui latrare non poſſunt*, Eſ. 56. v. 10. *alloquimini* populum rebellem *à diluculo indeſinenter*, Iirm. 35. v. 24. & obteſtamini *omnes ad quos judicium pertinet*, Oſ. 5. v. 1. ante omnia veſtrum ordinem (in quo quàm multa non deſiderantur!) reformando, voſque ex toto corde ad Deum convertendo, ac dein aliis dicendo: *Agite, revertamur ad Iehovam, nam ipſe rapuit & curaturus eſt nos: percuſſit, & obligaturus eſt nos*, Oſ. 6. v. 1. Aliquos ſaltem doctrina & exemplo veſtro convertetis; neque enim *revertitur Dei verbum ad eum vacuum*, Eſ. 55. v. 11. Quod ſi vero nulli inveniantur (quod Deus avertat!) qui quærant, *quid faciemus*, Luc. 3. v. 12. aut hypocriticè illud quærant, imitantes Iſchmahelem filium Nethaniæ, de quo Iirm. 41. v. 6. abſit tamen à vobis, ut deſinatis pro grege veſtro orare, imitantes in hoc Samuelem, 1 Sam. 12. v. 25. Ante omnia vero vos obteſtor, quos ad Reip. hujus gubernacula Deus admovit, cohoneſtavitque ſuo nomine, Pſal. 82. v. 6. Vtinam induamini Zelo Ezechiæ & Ioſiæ, reformatoque prius ordine veſtro, abominanda regionis, quæ incolas illius fœtidos coram Deo præſtant, exterminetis! Præivêre vobis majores. Antiquiora exempla ne accerſam, attendite ſolum ad illud, quod factum eſt à

Dele-

Delegatis Ordinum Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ anno 1626. Poſtquam enim incomparabilis heros & de patria meritiſſimus Mauritius Naſſovius exceſſerat, libellum ſupplicem obtulerunt Ordinibus Generalibus, petieruntque remedium adferri variis clamantibus peccatis, contra quæ quum neque Vos hoc tempore adhuc provideritis, per indicem ex dicto libello (integrum exhibet Guil. Telinch in libro Belgico, quem inſcripſit *Nootwendigh Vertoogh* lib. 7. cap. 1. pag. 409.) ea exhibeo. I. *Conivente Magiſtratu agitantur feſta Antichriſtiana, ut Bacchanaliorum, Epiphaniæ vulgo trium Regum, & Veſperæ S. Nicolai.* II. *Hiſtriones, titulum Rhetorum alicubi ferentes, multis in locis impune bonos cives ad idololatriam & diſſolutos mores excitant.* III. *Tolerantur idololatrica Papanorum conventicula.* IV. *Admittuntur Ieſuitæ, Monachi, & Sacrificuli; nec ſolum ſeducunt ſubditos, ſed etiam eoſdem argento emungunt.* V. *Citra ullam limitationem conventicula Iudæorum, aliorumque Sectariorum permittuntur.* VI. *Dei nomen temerariis juramentis impune ab ipſis pueris profanatur, contra expreſſum Dei verbum Levit. 29. 15. Matth. 5. v. 37.* VII. *Citra Cenſuram, & in præjudicium Edictorũ, antehac conditorum, promiſcue evulgantur omnis generis blaſphemi & ſeditioſi libri.* VIII. *Sabbathum miſerandum in modum ab omnis ordinis hominibus profanatur.* IX. *Promiſcuè homicidis ſal-*

vus

vus conductus conceditur, contra expreſſam Dei legem, Num. 35. *v.*38. X. *Vbique fere permittuntur lupanaria, contra Dei præceptum Deut.* 13. *v.*17. XI. *Scortatores levi ſolum mulcta mulctantur, adulteriumque pecuniaria pœna expiatur, expreſſè contra Dei voluntatem. Deut.* 22. *v.*23. Plura alia ſunt, viri primores, quibus remedium adhiberi à vobis debet, ſed quoniam hæc ibi ſolummodo notantur, ſpeciminis quaſi vice proponere volui. Supra cap. XI. oſtendi, quid Pacis tempore rex Aſa fecerit, æquum eſt, ut illius veſtigia prematis. Ergo *cedite Iehovæ filii fortium; cedite Iehovæ gloriam & laudem. Cedite Iehovæ gloriam nominis ejus, incurvate vos honorem exhibentes Iehovæ, in decoro ſanctitatis,* Pſal. 29. v. 1. 2. Vtinam ille, cujus vices hîc in terra ſuſtinetis, corda veſtra moveat, ut primo quoque tempore hæc abominanda peccata, & deinde alia ejuſdem notæ exterminetis, nullaque ratione de legibus veſtris diſpenſari patiamini! Vt verò tum hanc theſin tum integram diſſertationem obſignem, Deum ipſum loquentem introduco per Amoſum cap. 4. v. 11. & 12. *Subverti,* dicit, *ex vobis, prout ſubvertit Deus Sodomam & Hamoram, adeo ut fueritis ſimiles torri erepto ab incendio, nec tamen converſi eſtis ad me, dictum Iehovæ. Idcirco ſic facturus ſum tibi, ô Iſrael: propterea quod hoc facturus ſum tibi, paratus adeſdum obviam Deo tuo ô Iſrael.*

Tu

Tu ô Deus, qui convertere nos debes, ut convertamur, præpara ad hæc corda noſtra per Spiritum tuum Sanctum, ut compleantur in nobis promiſſa tua data 1 Chron. 7. v. 14. Tibi uni, ut Patri & Creatori noſtro, unà cum Filio, redemptore noſtro ac Pacis duce, atque Spiritu Sancto, ſit omnis laus & gloria in omnia ſecula, Amen.

SALLUSTIUS.

SCio ego, quam difficile atque aſperum factu ſit, conſilium dare Regi, aut Imperatori, poſtremo cuiquam mortali, cujus opes in excelſo ſunt: quippe cum & illis conſultorum copia adſit; neque de futuro quiſquam ſatis callidus, ſatiſque prudens ſit, quin etiam ſæpe prava magis, quàm bona conſilia proſpere eveniunt: quia pleraſque res fortuna ex libidine ſua agitat.

Sylla-

Syllabus CAPITUM.

CAP. I. *De nomine Pacis, ejus Etymologia, homonymia*, pag. 3.

CAP. II. *Quomodo pax ſit libertas? ſpeciatim libertas publica? occurritur quibuſdam dubiis.* p. 7.

CAP. III. *Pax honeſta atque ſecura eſſe debet.* p. 12.

CAP. IV. *Pax finire debet bellum in perpetuum: eaque occaſione Pax ab Induciis diſtinguitur.* p. 15.

CAP. V. *Quomodo pax publica conventione procuretur. Fœdus latius patet quàm Pax: ſi in Pacis contractu, alter alteri leges det, cavendum ut illæ æquæ ſint.* p. 18.

CAP. VI. *Quibus jus competat condendi Pacem: an Imperatori exercitus jus faſque ſit, eandem condere.* p. 22.

CAP. VII. *Agitur de iis, per quos Pacis negotia expediuntur, qui ſunt aut legati, aut mediatores, aut ipſi Principes contrahentes. Singulorum ratione varia obſervatu digna notantur.* 25.

CAP. VIII. *Pax tum demum eſt illud quod audit, quando inviolabilis ſervatur. Quæ ad hoc requirantur? Obſides in hunc finem ſæpe adhibentur.* 33.

CAP. IX. *Federa tamen Pacis ſæpe violantur, & quidem ab illis, qui maximè facta recta ea ſervare deberent. Quot modis pax violetur? Qui Pacem violat, aut verbis, aut armis caſtigandus eſt.* 38.

CAP. X. *Quanta Pacis dulcedo ſit? Cujus tamen omnes, non ſunt capaces. Imò quorundam ingenium ab eadem alienum.* 40.

CAP. XI. *Peculiares ſunt Pacis artes. Præ cæteris religioni & juſtitiæ vacandum. Diſtinctè de religione agitur.* 46.

CAP. XII. *Agitur de altera virtute, Pacis tempore colenda, ſive de juſtitia; cujus occaſione multa notatu digna proponuntnr.* 49.

CAP. XIII. *Singulari prudentia, Pacis tempore, opus eſt: Magiſtratus officium eſt, ingenia ſuorum ſubditorum ad Pacem componere.* p. 53.

CAP. XIV. *Pacis tempore Agriculturæ, & literarum ſtudiis incumbere convenit. Hoc ut commodius fiat Scholas Magiſtratus inſtituant.* 58.

CAP. XV. *Magiſtratus Pacis tempore lorica prudentiæ munitus quoque eſſe debet contra ipſos hoſtes, & inſidiatores Pacis. Quomodo eorum machinationibus in diverſis caſibus occurrendum ſit.* p. 63.

CAP. XVI. *Propoſita juſtitia belli, à fæderatis Belgii Ordinibus geſtis per compendium, & tamen ſecundum hiſtoriæ veritatem, oſtenditur,*

ditur, quoties, inter Hiſpaniarum Regem, atque Ordines de Pace actum fuerit, & quomodo ea tandem ſub ſpe perpetuitatis coaluerit. p. 69.

CAP. XVII. *Occurritur iis, qui Pacem hanc inſectantur, quod diſplicuerit ſociis, & intempeſtive fuerit condita, quum prius Antverpia, quæ jam nutabat, capi potuerit.* p. 78.

CAP. XVIII. *Satisfit iis, qui exiſtimârunt non deſerendum fuiſſe Galliarum Regem: qui ſi deſerendus non fuiſſet, multi quoque nobis propiores in Chriſto, deſerendi non fuiſſent. Æſtimandus tamen potentiſſimus hic Rex.* 84.

CAP. XIX. *Reſpondetur iis, qui ſucceſſum armorum, quem fœderatis Ordinibus Deus ante Pacem conceſſerat, plus æquo æſtimant, contendendo intempeſtiva Pace eundem ſufflaminandum fuiſſe.* p. 89.

CAP. XX. *Iis, quæ contra Hiſpanos vulgo adferri ſolent, diſtincte reſpondetur: ne quod antea in obſervandis fœderibus prodiderunt ingenium, nocere poſſit, monita varia adferuntur.* p. 94.

CAP. XXI. *Succurritur iis, qui majorem exercitus partem exauctoratam eſſe dolent. Non niſi armis Pacem defendere poſſumus, cum quibus ſocianda pecunia.* p. 100.

CAP. XXII. *Quum non ſine ratione multi viri graves, & pro patriæ ſalute ſolliciti commune ingenium Pontificiorum expendant, obviam*

viam illis itur, & reſpondetur, iterum commendatur diffidentia. p. 107.

CAP. XXIII. *Quamvis Majores noſtris ſuſpectârint & notârint Hiſpanorum ingenium, tamen præter placita eorum, rectè cum iis fœdus Pacis percuſſum. p.* 111.

CAP. XXIV. *Reſpondetur illis, qui exiſtimant miſeram Remp. noſtram fore, quod offenderit omnes fermè illos, quos ſocios habere ſolet.* 113.

CAP. XXV. *Reſpondetur iis, qui metuunt ne mercatura dilabatur, mercatoreſque agminatim Antverpiam migrent. p.* 116.

CAP. XXVI. *Quomodo Opifices, per quos hæ provinciæ plurimum florent, detineri queant. p.* 120.

CAP. XXVII. *Qua ratione tributorum onera, quæ hactenus valdè gravia ſunt, laxari queant. p.* 123.

CAP. XXVIII. *Quomodo conſuli poſſit iis, qui è ſolo bello hactenus vixiſſe videntur. Duo extrema circa honores notantur. p.* 130.

CAP. XXIX. *Qua ratione obviam eundum ſit variis domeſticis tumultibus, itemque certaminibus, quæ forte circa privilegia excitari poſſent. p.* 136.

CAP. XXX. *Pontificiis & Ieſuitis in has Provincias venientibus, quomodo reſiſtendum ſit. p.* 139.

CAP. XXXI. *A Remonſtrantibus ut multi ſibi metuunt, ita oſtenditur, quomodo eorum conatibus*

conatibus tempeſtive fibula imponi poſſit. 144.

CAP. XXXII. *Quæ cauſſa ſit, quod fœderatæ Provinciæ, poſt Pacem promulgatam, cum multis publicis calamitatibus adhuc conflictentur. Quomodo meditanda ſint Dei judicia, docetur.* p. 148.

CAP. XXXIII. *Obteſtatio ad omnis ordinis homines, qui in Belgio fœderato vivunt, ut graſſantibus peccatis occurrere ſtudeant.* p. 155.

FINIS.

AN 1317525

Digitized by Google

BI